BAUARIA PIA SERENISSIMAE QUADRIGAE ALBERTINAE SIUE QUADRIGEMINIS...

Matthaeus Rader

Digitized by Google

7
4-
3

9
14 E
2

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

64
G
13

64
G
11

7-4-B-3.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



A RAPHAELE SADELER RAPHAELIS F. ANTVERPIANO SERENISS. ELECTORIS MAXIMILIANI CHALCOGRAPHO AEREIS TABVLIS EXPRESSA ET VENVM EXPOSITA.

MONACHII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliothecæ Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

SERENISSIMÆ QVADRIGÆ ALBERTINÆ SIVE QVADRIGEMINIS FRATRIBVS SERENISSIMIS

IOANNI FRANCISCO CAROLO,
FERDINANDO GUILIELMO,
MAXIMILIANO HENRICO,
ALBERTO SIGISMUNDO.

Alberti Filijs, Guilielmi Nepotibus, Alberti Pronepotibus, &c.

Comitibus Palatinis Rheni, V.B. Ducibus Dominis ſuis clementiſſimis.

MATTHAEUS RADERVS è Soc. IESV
Salutem & multos annos.

MVltum poſſunt, Sereniſsimi Principes, in omnẽ partem, domeſtica virtutũ exempla, à quibus poſteri, ſicut hauriunt Spiritum, ita ſæpe mores & viuendi rationem diſcunt.

Romanæ virtutis erat, vti ſcæuola teſtatur, Et Fortia Facere, Et Fortia Pati, quid mirum? fortes à fortibus creantur.

Germanorum eſt germana fides, nihilq; per fraudem agere aut malas artes, ſed omnia apertè, ſincerè, candidè. quæ fides adhuc hodie durat perſeuerátque maximè apud illos qui veterem religionem retinuerunt. At verò Serenitates Veſtræ in ſuis inclitis, & religioſiſsimis majoribus, & heroibus omnia virtutum documenta & exempla agnoſcunt, quæ paſsim in tribus Bauariæ Sanctæ Voluminibus, proponuntur & explicantur.

Habetis, Ser.mi Principes, quos imitemini, ſiue in politica vita excellẽtes, ſiue in religione præſtantes. Et vt omittã alios jam emortuales (ſi tamen virtus emori poteſt) Guilelmum inquam & conjugem ejus Renatã, Sereniſsimos auos veſtros, noſtri ampliſsimi Collegij, auguſtiſsimíque templi, & nobiliſsimi Muſęi conditores & auctores. Mariam quoque Guilelmi ſororem proamitam veſtram incomparabilem heroinã, ſacratiſsimi Imperatoris Ferdinandi II. parentem, illiúſq; Sereniſsimos liberos. Ma-

rianam

riam Annam etiam primam Ferdinandi Auguſti conjugem Guilelmo natam. Habetis præter hos, jam vti certa ſpes eſt, cœlo receptos, adhuc in terris vobiscum commorantes, quos imitemini, Sereniſsimos parentes veſtros, quos coram quotidie ſpectatis & intuemini; habetis proximos cognatos & patruos & amitas; quorum ſi veſtigia preſſeritis, expeditam vobis ipſis ad cælum viam munietis. Valete ſpes Germaniæ, imperij vota; creſcite futuri ſæculis futuris documenta. Monachij, Calendis Iunij CIↃ IↃCXXVIII.

Digitized by Google

BAVARIÆ PIÆ
AVCTOR
LECTORI
SALVTEM.

MOnui ſupra in altero volumine Bauariæ Sanctæ pium Lectorem, me triplicem Beatorum claſſem in proponendis Sanctorum nominibus inſtituiſſe, Eorum primam, quorum nomina relata ſunt ab Eccleſia in faſtos & martyrologia Sanctorum: alteram, quibus aræ, ſacella, ædiculæ, Oratoria jam à priſcis annis ſunt poſita, quamuis illorum nomina nullis in Calendis legantur, ſed vſu ipſo & longa temporum præſcriptione colantur: poſtremam obtinuerunt, qui piam religioſámque vitam, quocunque in loco, ſtatu, ordine, egerunt. Viſum tamen eſt pios & in tertiam claſſem ſepoſitos cum Sanctis aut Beatis eodem in volumine non permiſcendos. Itaque tertium volumen eos duntaxat complectitur, qui in publicis Eccleſiæ faſtis cognoſcuntur, aut certè in prouincijs pro cujuſque Eccleſiæ ſuæ ſingulari conſuetudine & veneratione coluntur. Reliquos omnes libro peculiari complexus ſum cui BAVARIÆ PIÆ nomen indidi, in quem etiam illi jam in prioribus duobus voluminibus collocati, poterunt referri, vti ſunt, in primo, Theodolinda Bojorum Princeps, regina Longobardorum:

Gunde-

Digitized by Google

Gundeberga Theodolindæ F. Theodo III. Dux Boicæ: Thaſsilo Dux itidem Boiariæ ex principe monachus. In ſecundo Gebhardus qui & Victor II. Pont. Maximus. Theoduinus epiſcopus Leodienſis è regia Bojorum ſtirpe oriundus: Conradus Guelfo ex Duce Monachus: Gerochus ſeu Gerhohus Reicherſpergenſis cœnobij præſes (Conradum Portuenſem Cardinalem, Bauarum non agnoſco) Maria Brabantina Princeps Bauariæ: Henricus II. Ratiſponenſis antiſtes: Barbara Alberti Pij principis Boiorum F. Margaretha religioſa virgo: Kunegundis Auſtria, Princeps Bauariæ. Et quamuis hos omnes cum ſanctos tum pios diligenter diſtinxerim & ſejunxerim, nihilominus omnia tria Sanctorum Volumina cum quarto ſeu libro ſingulari Bauariæ Piæ, auctoritati Eccleſiæ Catholicæ, & Romani Pontificis judicio ſubjecta ſunto. Interim pius Lector, & in his & in illis habebit, quod admiretur & imitetur.

Ad hunc enim finem Sanctorum & Piorum dicta factáque traduntur, vt quod nobis deeſt, in illis velut catoptris perſpiciamus, & mores noſtros ad illorum amuſsim componamus & emendemus.

BAVARIÆ PIÆ
INDEX CHRONOLOGICVS.

Anno Chriſti. | *Die. Menſe.*

I.

IↃCCLXXII. S. OTHILIA Virgo ſacra. *IV. Mart.*

II.

IↃCCXVI. Theodo V. Bauariæ Princeps. *Febr.*

III.

IↃCCCXXI. Arno Archiep. Salisburg. *IX. Cal.*

IV.

IↃCCCLXXVI. Hemma Regina Boiariæ & Germ. *VII. Cal.*

V.

IↃCCCLXXVI. Ludouicus Ludouici Pij F. ex rege Boiariæ rex Germ.

VI.

IↃCCCCLXXXIIX. Carolus Craſſus imperator. *Febr.*

VII.

IↃCCCCLXVII. Poſo ſeu Boſo. *Cal. Nouemb.*

VIII.

CIↃ XX. Kuniſſa ſeu Kunegunda Dieſſenſis Cœnobij fundatrix.

IX.

CIↃXXXVI. Giſela, Regina Hungariæ Henrici S. Soror.

X.

CIↃLVI. Henricus III. religioſiſſ. Imperator Boiariæ Princeps. *III. Non. Octob.*

XI.

CIↃXCI. Wilhelmus Abbas Hirſaugienſis. *4. Iulij.*

XII.

CIↃCLIX. Otho Epiſcopus Friſingenſis. *X. Cal. Octob.*

XIII.

CIↃCLXVI. Arnoldus Pius Reicherſpergenſis. *Cal. Febr.*

XIV.

CIↃ CLXXII. Maroldus Vnderſtorfenſis religioſus.

XV.

CICCCCXLVI. Henricus Aiſtadianus. *Prid Cal. Aug.*

XVI.

CIↃCVI. Bertholdus Abbas Garſtenſis. *XXVII. Iulij.*

XVII.

CIↃIↃXXXIV. Magdal. Ratenb. è tertia S. Franc. familia Monachij.

Io. Iuſtus

Digitized by Google

INDEX.

Anno Christi.		*Die. Menſe.*
	XVIII.	
cIↄ Iↄ xxxiv.	Io. Iuſtus Landſpergius è familia S. Brunonis.	*III. Id. Sept.*
	XIX.	
cIↄ Iↄ LII.	Claudius Iaius è Soc. Iesv.	*VIII. Id. Aug.*
	XX.	
cIↄ Iↄ LXXXVIII.	Wilhelmus Rothenſis Monachus.	*IV. Cal. April.*
	XXI.	
cIↄ Iↄ xcvi.	Vdalricus Helfenſtainius.	
	XXII.	
cIↄ Iↄ xcvii.	Petrus Caniſius Soc. Iesv.	*XII. Cal. Iun.*
	XXIII.	
cIↄ Iↄc vi.	Andreas Lechuſianus.	*XVI. Cal. Octob.*
	XXIV.	
cIↄ Iↄc vi.	Theodoricus Caniſius. S. I.	*V. Cal. Oct.*
	XXV.	
Eodem anno.	Iacobus Biruua. S. I.	*XVI. Cal. Ian.*
	XXVI.	
cIↄ Iↄc xi.	Maria Helfenſtainia ab Hohenzolleren.	
	XXVII.	
cIↄ Iↄc xviii.	Iacobus Remius Soc. Ies.	*IV. Id. Octob.*
	XXVIII.	
cIↄ Iↄc xxi.	Laurentius à Brunduſio Capuccinus.	*XI. Cal. Aug.*
	XXIX.	
cIↄ Iↄc xxii.	Iachelina Schvvarzenburgica.	*XIV. Cal. Mart.*
	XXX.	
cIↄ Iↄc xxvii.	Remigius à Bozolo Capuccinus.	*Prid. Non. Apr.*
	XXXI.	
Tempus Incertum.	Voburgenſis agricola anonymus.	
	XXXII.	
Iↄc LXXVI.	S. Magnus & Toſſo.	

BAVA-

Digitized by Google

BAVARIÆ PIÆ
INDEX NOMINVM.

A.

Andreas Lechuſianus.	152
Arnoldus pius.	88
Arno Archiep. Salisb.	8

B.

Bertholdus Abbas Garſtenſis.	65

C.

Carolus Craſſus.	23
Claudius Iaius è Soc. Ieſu.	114

G.

Giſela Regina.	30

H.

Hemma Regina Bojariæ.	19
Henricus Aiſtadianus.	95
Henricus III. Auguſtus, Romanis II.	37

I.

Iacobus Biruua. S. I.	156
Iacobus Remius. S. I.	160
Iachelina Schvvarzenburgica.	169
Iuſtus Landſpergius.	104

K.

Kuniſſa ſeu Kunegunda Dieſſenſis cœn. Fundatrix.	28

L.

Laurentius à Brunduſio Capucinus.	166
Ludouicus rex Bojariæ.	12

M.

Magdalena Rattenburgica.	96
Maria Helfenſtainia ab Hohenzolleren.	158
Maroldus Vnderſtorfenſis religioſus.	108
Magnus & Toſſo.	177

Othilia

Digitized by Google

INDEX.

O.

Othilia virgo ſacra. 7
Otho Friſingenſis. 80

P.

Petrus Caniſius. 141
Poſo Epiſcopus. 27

R.

Remigius de Bozolo Capucinus. 171

T.

Theodo V. 8
Theodoricus Caniſius. 147

V.

Udalricus Helfenſtainius. 138
Voburgenſis agricola. 110
VVilhelmus Abbas Hirſaugienſis. 49
VVilhelmus Mindelheimenſis, monachus Rothenſis. 133

Facul-

FACVLTAS R. P.
PROVINCIALIS.

BAVARIAM PIAM à MATTHÆO RADERO Soc. noſtræ presbytero conſcriptam, & à deſtinatis ejuſdem Soc. noſtrę Patribus lectam & recognitam, ego GVALTERVS MVNDBROT Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis ex auctoritate Admod. R. P. N. Generalis Mutij Vitelleſci in lucem edi permitto, fidémque meâ manu, ſignóque Societatis appreſſo, facio. Ingolſtadij XV. Cal. Mart. Anno CIƆ IƆC XXVIII.

Gualterus Mundbrot.

Digitized by Google

THEODO V. VVLGO VI. DVX BOIORVM



Dux Agilolfingo Boiorum sanguine clarus,
Dux virtute tamen clarior ipse sua.
Primus Tarpeiam venit peregrinus in Vrbem.
Impreſſitq; sacris oscula liminibus.

Quin idem sancto Dux Noricus hospite felix,
Hospite, sæua diu cui famulata fera est.
Nec minus invictis princeps inclaruit armis,
Optimus ille togâ maximus ille sago.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

THEODO V.

Vulgo VI. vel VII.

RELIGIOSISSIMVS BAVARIÆ PRINCEPS.

MVLTIS nominibus felix hic princeps fuit, ſi fortunæ indulgentiam ſpectemus. Valuit potentia & viribus, adeo vt armis ingentem ſibi gloriæ famam collegerit. floruit trium liberorum ſtirpis virilis inclita ſobole, quibus ipſe ſaluus & florens omnem Boiariam in tetrarchias deſcriptam diſtribuit, ſic vt ſibi vnam retineret, reliquas filijs cederet Grimoaldo, Theodibaldo & Hugiberto, è quibus poſt parentem primus deceſſit Theodibaldus, dein Grimoaldus, poſtremo Hugibertus ad quem tota redijt prouincia. Hunc Theodonem primùm conuenit magnus ille & cæleſtibus prodigijs per id tempus celebratiſſimus Corbinianus, poſtea Friſingenſis pontifex, multis honoribus & beneficijs à Theodone cultus. Hic idem, ſiue exemplo regum Britanniæ, qui frequentes voti cauſa ex longinqua inſula Romam ſupplices properabant, excitatus; ſiue indignum ratus ſi ex tam remotis & toto penitus orbe diuiſis regionibus auderent per maria & terras ſuam Deo pietatem tam longa peregrinatione probare, ipſe in aditu Italiæ, & ad ipſas vicinas alpes pertinens domi reſideret, nullúmque eiuſmodi religionis ſignum poſteris commendaret. Audierat fortaſſe, aut etiam legerat ipſe Ceadualdam regem Occidentalium Saxonum & Coenredum Merciorum regem & Offam filium Sigheri regis Orientalium Saxonum Britanniæ Romam peregrino cultu tectos contendiſſe, & turpe ſibi exiſtimabat,

IↃCCXVI.
Paulus Diaconus l. 6. c. 44.
Anaſtaſius Greg. II. P. M. Ind. 14.
Aribo in vita S. Corbin.
Baronius anno IↃCCXXVI. qui nõ conuenit cum Paulo Diac. indict. XIV. notãte, cùm Bar. ſignet. IX.

An. 689.
An. 709.
Beda in ep. hiſt. Anglic.

bat,



Sancte laborantem gemina caligine natam
Abſterge, geminus plorat Erharde parens.
Mentis adhuc tenebris, noctiſq; ſepulta tenebris
Nec videt illa diem, nec videt illa Deum.

Cernere utrumq; cupit, Clarium Clariq; Authorem
Tolle Pater noctem corporis atq; animi
Vt geminum tecum laudet virguncula lumen;
Plus tamen illa ſuum Æternere numen avet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

S. OTHILIA VIRGO SACRA.

HANC ſanctam & cœleſtem Virginem jam olim retulimus in tertium Viridarium noſtrum vbi cap. 3. de Cæcis Sanctis non pauca memorauimus. Edita quoque ejuſdem jam pridem imago eſt inter aſcetas & aſcetrias, vbi OTHILIA BAVARA appellatur non quod in Bauaria nata ſit, ſed per baptiſmi fontem renata. Nam domo Argentoratenſis fuit Ethiconis ſiue Hilderici ſanguis. Sed cùm in lucem ſine luce eſſet edita, deducta Ratisbonam ad S. Erhardum Epiſcopum ſacro fonte baptiſmatis ab eodem luſtrata, ejuſdémq; precibus & virtute curata, cælũ læta aſpexit, à quo deinceps oculos nunquam deflexit. Pater in Alſatia ſacrum illi Parthenonem inſtituit, in quo trecentis triginta ſacris virginibus facem ad cælum antiſtita ſacra luxit. Patrem in igne piaculari poſt mortem excoctum precibus exemit, cælóque purum reddidit. Erat hæc præclara virgo inſerenda primo volumini Bauariæ Sanctæ ad annum IↃCCLXXII. Non ſolum enim pia ſed ſancta & jam pridem Faſtis ſacris inſcripta fuit.

A. P. C. N. 772. Ado Martyrol. Rom. 13. Decemb. Molanus. Caniſius eod. die, alij.

B. ARNO PRIMVS ARCHIEP. SALISPVRG.



Metropolitani salue decus Arno Iuuaui,
Cui virtus primam misit ab urbe ſtolam.
Qui studuit tortos populi componere mores,
Et docuit mystas viuere lege suos.

Ac pauit Codros et cauit egentibus Iris,
Aspera pannosos ne violaret hiems,
Atq; ministrauit morientibus arma salutis.
Arno salus viuis, et pia pausa sitis.

ximo

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
Digitized by Google

ximo ſacerdotum ordini, tertia egentibus cederet, poſtrema ad ſarta tecta ædium ſacrarum adhiberetur. religioſi viri decumam pontificibus ſubminiſtrarent. epiſcopi curam ægrorum aut vitio corporis laborantium gererent, victum cultum & alia ad famem & morbos pellendos ſubſidia præberent. quod certè non pauci, præſertim Salisburgẽſes prçſules ſtudioſiſſimè poſtea executi ſunt, vt ex primo volumine cognouiſti. Arno porrò tabulas confecit, quas Noticias donationum inſcripſit, quibus beneficia principum Bojariæ, nobilitatis & populorum in ſedem Salisburgenſem collata ordine temporum diligentiſſimè conſignauit. ac primum Theodonis principis qui primus ex Agilolfingis Chriſti ſigna ſecutus à B. Ruperto cæleſti fonte luſtratus eſt, facta Ruperto deligendæ ſedis poteſtate, donauit Iuuauium cum certa ſalinarum portione, prædijs, fundis, villis, agris, quæ omnia ſingillatim Arno percenſet. Theodonem ſecutus Theodebertus primus, qui & ipſe haud parua munera eidem eccleſię deſtinauit, ſaltus ingentes & ſiluas totáſque toparchias & venationes. Theodeberto non ceſſit Vtilo, qui & ipſe Salisburgenſem pontificatum nouis prædijs auxit ab Arnone accuratè deſcriptis. mariti exemplum ſecuta Hiltrudis ex qua Thaſſilo ortus eſt, non minùs liberalis in eandem ſedem fuit. Principum liberalitatem nobilitas & ipſe populus imitatus, ſinguli pro facultate ſua Deo & D. Ruperto è bonis ſuis conſecrarunt, quorum omnium tabulæ apud Henricum Caniſium Volum. VI. ant. lect. extant. Horum omnium diligentiſſimus inquiſitor cuſtos & auctor fuit Arno, vt, ſi quis quid ex his vel dolo malo, vel alijs artibus auertere, vel ſibi vendicare conaretur, Arno lege & jure agebat, ne quid de S. Petri & Ruperti recula diminueretur. Pontificis enim eſt, jus eccleſiaſticum tueri, ornare, augere. Sed illa propria: Sclauorum illum & Hunnorum egiſſe doctorem, nouámque ſedem pontificiam apud Hunnos inſtituiſſe: Theodoricum ab eo in epiſcopum conſecratum, adeóque prouinciam ſacram cum magna induſtria, fide, religione, pietate adminiſtratam; eundémque exemplo omnibus vitæ præluxiſſe, id quod maxime ad famam ſanctitatis pertinet. quæ omnia Leonem III. Pont. Max. permouére, vt in publicis diplomatis Arnonem ſanctum proclamarit. Quibus addit Hundius: *Fuit autem hic Arno maximè pius & deuotus, ita vt in omnibus literis ſibi à ſummo pontifice miſſis* Sanctiſſimus *appellaretur. Tumulatus eſt in ſummo templo ante altare Mariæ Magdalenæ.*

to. 6. ant lect. p. 1147. & ſeqq.

p. 1159. cap. 12. & ſeqq.

LVDO-

LVDOVICVS
LVDOVICI IMPERAT. PII F.
CAROLI M. N.
EX REGE BOIARIÆ REX GERMANIÆ
OPTIMVS ET RELIGIOSISSIMVS
PRINCEPS.

ıↄccclxxvi. Annal. Franc. à Pithœo editi. Annal. Fr. Fuld. Nigram. Com. Aim. l. 5. cap. 4.

LVDOVICVS rex Boiariæ & inde totius Germaniæ patre natus eſt Ludouico Imperatore cognomento Pio, Caroli M. F. matre Irmengarde. Natale ſolum quod meminerim à ſcriptoribus non editur, natalis tamen annus inde cogitur, quod cùm natus annos LXX. deceſſerit, ſequatur, illum anno ıↄcccvı. primùm lucem aſpexiſſe, cùm anno ıↄccclxxvı. viuendi finem fecerit. Fuit è tribus ex Irmengarde ſuſceptis liberis (nã Carolus Caluus ex Iuditha Guelfa ort⁹ eſt) natu minimus, ſed virtute prudentia, religione, pietate, facilè primus. Nam & Lothariũ fratrẽ natu maximũ armis ſuperauit, patrẽ ex fratris cuſtodia liberauit, & imperio reſtituit. Carolum Caluum armis retudit, barbarorum excurſiones fortiſſimè repreſſit, multáſque præclaras de Slauis, Boiemis, Danis, Sorabis, Triballis ſeu Bulgaris, Dalmatis, Normannis victorias (nec ſine ope cæleſti, quam & implorabat aſſiduè & exploratè ſenſit) reportauit. In compeſcendis bellis ciuilibus multo fuit patre & cautior & felicior; nam ſtatim ad primos motus accurrit, & naſcens belli incendium in prima ſtatim ſcintilla extinxit, quin & ipſius pietati cælum ſæpius aduerſus filios ſuffragatum eſt, cum noua molientem Carolum Craſſum natu vltimum in maximo ſacrorum & regni procerum conſeſſu Francofordiæ genius malus inuaſit, torſit & toties excarnificauit, quoties in patrem nefaria conſilia agitarat. In capitalibus morbis cum vita periclitaretur, ſtatim ab humana ope ad vitæ auctorem & cæleſtem medicum appellauit, omnéſque regiæ ſuæ theſauros in egentes, valetudinaria, cœnobia, ſacróſque homines expromſit, quibus patronis apud Deum veniam gratiam & vitam longiorem impetrauit. At patrem, inquies, armis, quod ſummum eſt ſcelus, ſæpius inuaſit:

nam

Digitized by Google

LVDOVICVS REX BOIARIÆ LVD. IMP. PII F.



Sto pater ad lectum (ne te mea terreat umbra)
Atq; tuas supplex flagito, Nate, preces.
Triginta magnis vertuntur solibus anni
(Nec tot ſufficiunt in mea damna dies)
Cum coctus flammis, iterumq; iterumq; recoctus
Expungo ſœdas pectoris igne notas.
Tu pie Nate patris cruciatibus exime Manes,
Et caue ne similes ingrediare focos.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

nam ſi vultu lædere pietatem parentum jam olim impium apud impios etiam cenſebatur, quid merebitur is, qui (vt peruetus ait comicus) haſtis inſectatus eſt patrem; & matrem (vt Orator vatinio objectat) verberauit? Non diluo crimen quod ipſe ſine dubitatione ſæpius lacrimis diluit; ſi tamen, crimen agnouit, magnis à patre injurijs ad iracundiam, contrà quàm gentium magiſter & Chriſti interpres Paulus docet, prouocatus, cùm aſſignatum teſtamento conſignatúmq; regnum præter omnem ejus culpam, magna ex parte illi ademit, & vix dimidium reliquit, nouercæq; filio Carolo Caluo tranſcripſit & Ludouicũ noſtrũ propè caluum fecit. Quid porrò ipſe pater de pietate filij ſenſerit, poſt mortẽ etiã conteſtatus eſt, cùm piacularibus flammis per annos amplius triginta excoctus præſidium, non à Carolo imperatore, quem tantopere contra Ludouicum fouit, non à ſacris hominibus aut nepotibus, ſeu Galliæ ſeu Italiæ, ſed ab Ludouico hoc noſtro quæſiuit, & expertus eſt, cùm hic ad omnes ædes ſacras, ſacros ordines, & cœtus virginum & religioſorum, literas miſſitauit, quibus preces pro ſalute patris efflagitauit. Aduerſus Gundekarum hoſtem & perduellem, & transfugam omnino cælitum ope debellatũ eſt, cùm ipſe caput & cauſſa belli Gundekarus fuit, quando armatus in acie cõtra Carolomannũ ſtetit, & jam ferro decernendũ eſſet, vbi S. Emmeramo manus illi injiciente, exclamauit, *Pugnate fortiter veſtram patriam tuentes, ego enim in hoc certamine vobis proficuus non ero, quoniam Sanctus Emmerammus, cæterique Sancti, in quorum reliquijs Ludouico regi filijsque illius fidem me ſeruaturum eſſe juraui, meum clypeum & haſtam tenentes, mea brachia & viſum deprimunt, & me vndique conſtrictum quaſi loris ligatum retinent, ita vt nec manum quidem ad os mittere valeam.* Ergo velut victima noſtratibus objectus, mactatus & interfectus eſt. Qua victoria ad Ludouicum perlata, omnia ſacra turrium ſigna concinere juſſit, ipſéque ſupremo cæli imperatori victoriam ſupplex gratulatus eſt. Vernum & ſolenne Chriſtiani orbis jejunium cum paſchæ ferijs, omnibus ciuilibus negotijs procul habitis, votis & religioſis exercitationibus ſanctiſſimè tranſegit. Extinctus eſt Francofordiæ V. Cal. Septemb. & S. Nazarij ædi Laureſheimenſi illatus, cui Auentinus ex Reginone potiſſimùm hoc elogium condidit: *Extitit princeps ſanè optimus, cujus virtutes nullo confinio vitiorum læderentur, fuit magna vi animi & corporis, ingenioque bono: corpore firmo ac procero, oculis nitidis atque micantibus, voce clara atque virili. vultu vel in ſermone, vel tacitus, adeo tranquillo vt intuentis in eum triſtitiam diſcuteret, forma eximia, venuſtiſſima dignáque vt græci ajunt, impe-*

Plaut. in captiu. *Cic in vatin.*

ad Epheſ. 6.

Annal. Fuld. Franc. p. 32. an. 869.

Auent. l 4 p. 341. Baſil. ann. 876.

 rio.

Digitized by Google

rio. patientiſſimus laboris, dolorum tolerantiſſimus extitit. inertiam, otium, libidinem, luxuriam, ſuperbiam, arrogantiam velut peſtem vitauit: fortis ac durus in aduerſis, armis felix, fortunatus. ciuiles ſacráſque res & diſciplinas juxtà calluit, aſſiduo ſtudio res geſtas veterum principum euoluit. in templum innocentiam ac ſanctitatem, puram caſtámque mentem magis quàm meditatum carmen aut aurum inferre ſtuduit. in pauperes pietatem, benignitatem liberalitatem exercuit. Dum Reginoburgij Francofurdiæq́; ſacras ædes muro hærentes mœnibus ſolo æquatis ampliari jubet, auri theſauros reperit, egeníſq; elargitus. Chriſtianis in Aſia, Africa, opem ejus expoſcentibus denarios ſingulis regijs prædijs exactos ad inopiam ſubleuandam miſit. ſacerdotibus & monachis prauo ingenio indoctiſue ne in conſpectum quidem ejus venire licuit. idem in vitandis inimicorum inſidijs, & prætorum ſuorum moribus agnoſcendis, ſuprà quàm cuiquam credibile eſt, callidus & aſtutus fuit. jus diligentiſſimè dixit; controuerſias accuratiùs deminuit. auaritiam magiſtratuum, maximè odio habuit atque puniuit. nemo ei impune verba dedit. inuitos contemptoréſque pecuniæ prouincijs præfecit. nemo aut ambitione, aut muneribus in ejus animum irrepere valuit: haud quiſpiam ad ciuilem eccleſiaſticámue dignitatem malis artibus, auro, cupiditate, temerè aſpirare auſus fuit. nunquam captores munerum auaritiáue notatos, ambitus aut repetundarum condemnatos, ſiue ob aliud quoduis crimen ſemel magiſtratu abdicatos, poſthac reſtituit, ratus vulpem pilos, nunquam animum mutare: & magis illos periculi quàm beneficij memores haud vnquam ſincerè fidos fore. armorum apparatus quàm conuiuiorum ſtudioſior fuit, plus ferrum quàm aurum dilexit; vſum auri ſericíque præcipuè militibus ademit. Si quem in exercitu ſericatum, aut in auratum conſpicatus fuit, Eho, mortalium ſtultiſſime, non ſatis eſt tibi inquit, vt ſolus pereas, niſi & res tuas hoſtibus tradas, atque eos locupletes, quò diutiùs faciliúſque nobis reſiſtant. Externos habitus edicto prohibuit; ſumptuariam legem exercuit ſeueriſſimè. Simplici ac parabili victu veſtitúque patrio contentus, cum infimo quoque parſimonia & frugalitate certauit: plerunque carne, & hujuſmodi lautioribus cibis abſtinuit. Quatuor liberos, tres mares, Carolomannum, Ludouicum, Carolum; vnam fœminam Luitgardam virginem in Chimino lacu Noricorum maximam reliquit. Hos ex Hemma, vt ajunt Hiſpana, tulit. hæc Auentinus.

Veronum tamen & Veronam in diuos relatos eidem aſſignant.

HEMMA

B.HEMMA REGINA BOIARIAE.



Mille vides hominum formas et mille figuras,
Nec similis de tot millibus una tibi est.
Non Hecubam Caſsandra refert, non Troilon Hector:
Eſt facies cunctis propria, cuiq; sua;

Sic et apud superos, sua cuique eſt propria virtus,
Et sua virtutem palma secuta suam.
Quæ virtus fuit HEMMA tibi, quæ gloria nunc eſt?
Pellit adhuc Iri sportula nostra famem.

Digitized by Google

Digitized by Google

HEMMA
REGINA BOIARIÆ ET GERMANIÆ LVDOVICI REGIS CONIVNX.

HEMMA regina, conjunx Ludouici Bojorum & omnisGermanię regis,de quo paullo antè memorauimus, Carolomanni regis Bojariæ & Italiæ, Ludouici Franciæ, qua orientem ſpectat, & Lotharingiæ regis, Caroli Craſſi imperatoris mater,regio Francorum ſanguine, vti tradit VVolfgangus Selenderus, Hiſpana domo, vt Auentinus arbitratur: cujas tamen fuerit ex veterum memorijs non deprehendas. Regino peruetus & verus ſcriptor prætcritâ patria, nobili genere natam affirmat, *Habuit*, inquit, *hic glorioſiſſimus rex* Ludouicus *cujus memoria in benedictione eſt, reginam nomine Hemmam ſibi in matrimonium junctam, quæ nobili genere fuit, ſed quod magis laudandum, nobilitate mentis multo præſtantior: ex qua tres filios ſuſcepit excellentiſſimæ indolis, videlicet Carolomannum, Ludouicum & Carolum qui felici ſorte poſt deceſſum patris imperij moderati ſunt gubernacula.* Regiorum liberorum ſummam curam habuit vti ſanctè educerentur & ad omnis virtutis elegantiam informarentur; præſertim vt ſuprem ū numen religioſiſſimè colerent; Diuos velut numinis familiares & amicos venerarentur, pontifices omnéſq; ſacros ordines tāquam parentes obſeruarent. Reginoburgi anno ıↄ ccc xxxı, cœnobium, quod ſuperius appellant, à Baturico antiſtite Ratiſponenſi, facta Manſeenſis contubernij permutatione, accepit, & in auguſtiorem formam ampliúſque ſpatium compoſuit, multíſque donis, prædijs & bonis locupletauit, quod poſtea Carolus III. Imperator Hemmæ filius tabulis publicis è reliquorum ditione exemit, vti neminem dominum (quà quidem de ciuili bonorum adminiſtratione aut antiſtitæ creatione agitur) agnoſceret, nihil vt interim juris vel pontifici max. vel proprio antiſtiti eſſet ademtum. Docent hoc literæ Caroli Imperatoris quem tertium numerant. *Carolus diuina fauente clementia imperator Auguſtus &c. Proinde nouerit ſuccedentium induſtria, qualiter nos monaſterium beatiſſ. ſemper virginis matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, Mariæ, in ciuitate Ratisbona quod dicitur* Obermünſter/ *quod piæ memoriæ genitrix noſtra Hemma regina à Baturico epiſcopo (de quo vide monaſt. S. Haimerani Ratisbonenſe) ſolemni & legitimo concambio recepit, vbi ipſa corporaliter ſepulta requieſcit, quod ipſa ordinauit,*

ıↄ ccc lxxvi. *VII. Cal Febr. Wolfg. Selend. ms. in ornam. epiſc. Ratiſp. Laur. Hochvv. in catal ep. Ratiſp. ms. Hund metr. Salisb. p. 257 in ſuper. monaſt. Ratiſp & p. 18. in Bathurico. Auent. l. 4. p. 340. & 341. Regino an. 878. Annal. Franc. Fuld. Diplom. Caroli Craſſi Imp. Andr presb. de monaſt. Bauar. p. 189.*

Hund. p. 257. Hochuuard. prolixius.

dinauit, ditauit, & magnificauit, in noſtra emunitatis defenſionem ſuſcepimus, ea videlicet conditione, vt neque nos, neq; quisque Imperator, aut Rex, aut Dux, aut Comes, aut regius exactor, ſiue ex imperiali, ſiue ex propria auctoritate quicquam ibi ordinandi aut exigendi habeat poteſtatem cum alijs priuilegijs circa electionem abbatiſſæ, aduocati, &c.

Data XIV. Cal. Martij, anno IↃ CCLXXXVI. *indict. IV. anno imperij piiſſimi Imperatoris Caroli in Italia VI in Francia V. in Gallia XI. Actum in villa quæ Rotvvila vocatur in Dei nomine feliciter, Amen.*

Fuit initiatum magnæ Dei matri virginíque Mariæ, alitque cætum ſacrarum virginum. Ipſa porrò regina effuſa in pauperes largiſſimam ſæpe ſtipem miſeris impertijt: quam & anniuerſariam & æternam deſtinauit, certóſque fundos & prædia cœnobio ad eum finem attribuit, vbi quotannis cum juſta funebria repeterentur, maxima virginum ipſa, nuda pedes (niſi valetudine præpediretur) ſuis manibus (ad exemplum opinor * reginæ) egentibus ſportulas panum carniúmque ſingulis erogaret.

** Hemmæ*

Annal. Franc. Fuld. Selend. p. 46. f. 2.

Anno deinde IↃ CCCLXXIV. neruorum ſtupore affecta, quam paralyſin vocant, diu admodum, vt ingenium eſt hujus morbi, lecto affixa decubuit, tandémq; linguæ vſu deſtituta, expiatis etiam diuturno morbo leuioribus, vt credibile videri poteſt, culpis, VII Cal. Febr. anno IↃ CCCLXXVI, ſemeſtri ferè ante regem maritum, morte defuncta ad æterna cęli templa euolauit. Auentinus media quadrageſima deceſſiſſe ſcribit, negligentiùs opinor an̄alib. Francorum lectis, vbi de celebratis *mediante quadrageſima* ab Ludouico comitijs Francofordiæ tractatur, non de morte Hemmæ, quam tamen ſubjicit, ſed nec menſem nec diem aſſignat. Corpus in cœnobium virginum, quod ipſa Ratiſponæ condidit, illatum, vti Caroli Craſſi imperatoris tabulæ ſupra laudatæ demonſtrant, quamquam Fuldenſes Francorum memoriæ doceant in S. Emerammi ęde conditam, vbi hodiéq; ejus cōditorium oſtenditur, quod tamen Auentinus Vtæ Auguſtæ conjugis Arnulphi imperatoris cōjectat. * Alij effoſſam & ad S. Emerammum delatam produnt: Auentini ſententia verò propior videtur; etſi VVolfgangus Selender diſertè narret illam apud ſanctū Emeramum ad S. Achatij aras quieſcere, ejúſq; tumulum ipſum (adeò nos ipſa monumenta admonent mortalitatis, cùm & ipſa nobiſcū moriantur) temporum diuturnitate crebríſq; incendiorum & ruinarum injurijs ſepultū, anno demum CIↃ CLXVIII. Nonis Maijs Adelberto præſule repertum & nouo mauſoleo cum ſolenni cerimonia illatum. Hundius idem teſtatur, niſi quod annū inuenti corporis ſignet CIↃ CLXIII.

26. Ian.

pag. 341. Baſil.

** Laur. Hochvvard.*

p. 223.

CARO-

CAROLVS CRASSVS IMPERATOR DVX BOIARIAE.



Si tribus abdomen tibi rex dodrantibus extat,
Eque tuum craſso corpore nomen habes;
Non tamen est sensus tibi craſsus obesaq; naris,
Ad nutus trepident cum tria regna tuos.

At quò mens ceſsit magis accedentibus annis,
Hoc plus accensus numinis auxit amor.
Et licet excuſsus sceptris amiseris orbem,
Orbe tamen maius nactus es imperium.

CARO-

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

CAROLVS CRASSVS IMPERATOR.

REX ITALIÆ, SVEVIÆ, BOIARIÆ, FRANCIÆ, GALLIÆ; PARVM FELIX, BENE PIVS, PATIENS, RELIGIOSVS PRINCEPS.

NON vno nomine Carolum hunc in has Piorum Bojariæ tabulas refero (quanquam illi nec cæleſtes honores ab eccleſia decreti ſint, nec à me titulo Diui, niſi fortè quà imperator fuit, colatur aut nominetur) primum enim hunc & optimum & religioſiſſimum principem nō ſolùm domeſtici ſcriptores, ſed externi etiā publicis literarum monumentis laudarunt. Deinde video Carolum Deo cordi fuiſſe, ſimul enim aliquod vel in Deum, vel parentes, vel conjugem, vel alios peccauit, cæleſtis vindicta illum extemplo inſecuta eſt, vt in eum verè illud Dei oraculum conueniat, *Quos diligo, caſtigo.* Denique quod cæleſtibus viſis illius ſalus ſatis conteſtata videatur, vt infrà exponam.

ƆCCCCLXXXVIII
Regino.
Guilelm. Malmesb. de geſt. ang. l. 2. p. 39.
Auctariū ad Bed.
Baron. an. 888.
Annal. Franc.
Sigon. l. 5.
Herm. Contr. t. 1.
Caniſ. antiq. lect. p. 555.
Hodiéque Cæſares, DIVI, Romanorum more appellantur, legantur tituli Rudolphi II, & aliorū.

Fuit Carolus Craſſus Ludouici Bojorum & demum omnis Germaniæ regis filius, poſtremo loco natus, qui teſtamento patris regnum Alemanniæ accepit, cum Carolomannus principe loco natus Bojariam & Italiam accepiſſet, & Ludouicus medius Franciam quæ ad Orientem pertinet, & poſt Carolomannum Bojariā. Quibus defunctis, omniū rerū regnorúmq; ſine ſanguine & ſudore potitus, Auguſti quoque nomen indeptus eſt, & ab Ioanne Pont. Max. imperatorijs honoribus Romæ feſta cum cerimonia cultus. Iuuenis non ſemel in patrem cum Ludouico fratre conſpirauit, nec parum illi ſanè negotij exhibuit, iterum quippe & iterum occultas illi molitus inſidias, non quidem, vt manus impias patri inferret, ſed vt regno, vel certè parte regni exueret. quas filij technas & tectas petitiones Deus patri palàm aperuit. Cum enim Francofordiæ in publico pontificum & optimatum

concilio

Digitized by Google

concilio de regni & eccleſiæ negotijs tractare vellet, & ſenatum principum pater ingrederetur, Carolus permiſſu numinis ab atrociſſimo inferorum cerbero occupatus, atque in tantam rabiem eſt actus, vt à ſex valentiſſimis cuſtodibus ægrè contineretur. Flebile & lamentabile omnibus ſpectaculum, regium adoleſcentem in ſpem maximam rerum maximarum natum, in medio totius regni ſenatu, ante os & oculos parentis, tam atrociter ab inferorum carnifice excruciari. Omnes ergo certatim in effuſas iere lacrymas, regiam indolem miſerati. Pater ipſe, pontifices & omnes præſentes viros religioſos, & proceres regni rogauit, vt ædem ſacram ſecum adirent, & pro ſalute filij ſuperos deprecarentur. Surrexere omnes vt optimi regis & patris miſerrimum filium ſupplicijs ſuis liberarent. In itu tanto furore agitatus eſt, vt in ductores qua poterat violentia & rabie ſæuiret, in oculos quoque eorum, niſi manibus arctè reſtrictus fuiſſet, inſiluiſſet. Dentibus ergo velut immanis fera, appetere cuſtodes, gliſcere oculis, ſpumas furentium ritu egerere, agitare corpus, calcibus ferire, & denique non hominem, ſed rabioſum canem repræſentare. Vbi ad templum ventum eſt, per ſacros præſules ab immaniſſimo tortore, non ſine multis lacrymis & votis, exſolutus, & animum, & mentem, & pietatem recepit, publicè profeſſus, toties ſeſe atrociſſimè tortum, quoties in patrem conſilia praua inſidiáſque animo vel concepiſſet, vel cogitaſſet.

Hiſtoriam hanc antiquæ Francorũ tabulæ confirmant, quas ego in rem præſentem, pro teſtibus jam adſcripſeram. Sed veritus ne prolixitate moleſtus eſſem, iterum induxi & expunxi.

Pater inde Ludouicus rex omnis Germaniæ, poſt triennium extincto Carolomanno natu maximo, reliquit Bojariam Ludouico, Francóſque ad Orientem pertinentes: Carolo huic Alemanniam ſiue Sueuiam. Nec quiſquam hîc miretur cum Sueuiam eandem cum Alemannia affirmo, ſequor enim id æui ſcriptores, & vſum temporum, quamuis non ignorem, quæ alij hoc tempore de origine Alemannorum diſputent, eóſque à Gallis profectos ex Tacito contendant. Anno deinde ſupra octingenteſimum ſeptuageſimum nono, defuncto Ludouico Balbo imperatore, Carolus Craſſus ab Ioanne pontifice in Italia imperator deſignatus, Romæ poſt biennium ab eodem Auguſtus pronunciatus & inauguratus eſt. Año poſt ↀ CCC LXXXII. Ludouico fratre naturæ legibus parente, omnem Carolus Germanniam & mox Galliam occupauit, tantámq; potentiam, quantã auus & proauus ſoli tenuerant.

Cluuerius lib. 3 c. 4. p. 10. v. 30. & ſeq.

Digitized by Google

tenuerant, nactus eſt, qui varia deinceps bella cum Normannis, Bohemis, Morauis, vario euentu geſſit, majórque ſemper pietate habitus eſt, quàm armis, quæ hiſtoriæ ciuili relinquo; hîc Caroli religionem trado, quæ ſanè inſignis fuit, niſi quod in conjugem Richardem durior, cum illam de adulterio ſuſpectam publicè ad concionem traduxit. In qua tamen ipſa Caroli virtus magnopere enituit, cùm jurauit ab ſe conjugem nunquam eſſe contactam, cum illam annos jam amplius decem jure conjugij vxorem habuiſſet, quamuis, ante ductam Richardem, ex neſcio qua nobili pellice Bernardum filium procreaſſet. an ab vxore pudoris & caſtimoniæ cauſſæ abſtinuerit, an alijs ductus rationibus ab vſu fœminæ abhorruerit in medium relinquimus. Richardem certè Auguſtam omnino repudiauit; in quo non leuem culpam admiſit, quæ illi fortaſſe etiam imperium ademit. Vt prudenter aduertit Baronius.

Triennio ante obitum ɪↄccclxxxv. cæleſti ductore ad ignes piaculares deductus miranda vidit retulítq;, atq; inde haud pauca emendauit, nam bellorum ciuilium ſuſcitabula, proceres & antiſtites complures atrociſſimis tormentorum flammarúmq; ſupplicijs, qui diſcordiarum & armorum inter principes Chriſtianos auctores fuerant, cruciari vidit, & inter alios principes regésq; ſuum ipſe patrem Ludouicum, qui ante octennium naturæ debito liberatus erat, ſed nondum nomina, quæ Deo debebat, apud inferos diſſoluerat. Res hæc apud Malmesburienſem de geſtis regum Anglorum altero volum. in Etheluulpho deſcripta eſt, quam tute ibi, ne longior ſim, cognoſces.

Porrò Carolus biennio poſt repudiatam Auguſtam, & ipſe de ſtatu ſimul mentis & imperij dejectus, vix habuit vnde vitam toleraret, coactus Arnulfo fratris filio imperatori ſupplex fieri, victúmq; emendicare, ne tantus paullo antè imperator fame necaretur. Quam ipſe ſummam rerum conuerſionem & grauem è ſummo faſtigio in imum dejectionem Deo clementi delictorum punitori beneficij loco in acceptis retulit, patientiſſiméq; tulit. Nec diu in hac famis & infamiæ cruce pependit, menſe Nouemb. anno ɪↄccclxxxvii. exauctoratus, pridie * Idus Ianuarij anni ſequentis extinctus eſt.

* *Annal. Franc. Fuld.* die Idus Ian. *mendosè. legas* pridie Idus.

Quid porrò de ejus virtutibus, pietate, moribus, ſentiendum ſit, Regino præſes cœnobij Prumienſis exponit, qui Carolum nouit, & eadem tempeſtate vixit & ſcripſit, cujus tibi verba adnumero; *Anno dominicæ incarnationis* ɪↄccclxxxviii. *Carolus imperator*

tertius hujus nominis & dignitatis, obijt pridie Idus Ianuarij, ſepultúsque eſt in Augea monaſterio. Fuit verò hic Chriſtianiſsimus princeps, Deum timens, & mandata ejus ex toto corde cuſtodiens, eccleſiaſticis ſanctionibus deuotiſsimè parens. in eleemoſynis largus, orationi & pſalmorum melodijs indeſinenter deditus, laudibus Dei infatigabiliter intentus, omnem ſpem & conſilium ſuum diuinæ diſpenſationi committens: vnde & ei omnia felici ſucceſſu concurrebant in bonum, ita vt omnia regna Francorum, quæ prædeceſſores ſui non ſine ſanguinis effuſione cum magno labore acquiſierant ipſe perfacile in breui temporum ſpacio, ſine conflictu, nullo contradicente poſſidenda perceperit. Quòd autem circa finem vitæ dignitatibus nudatus bonisque omnibus ſpoliatus eſt, tentatio fuit (vt credimus) non ſolùm ad purgationem, ſed quod majus eſt, ad probationem: ſiquidem hanc (vt ferunt) patientiſsimè tolerauit, in aduerſis ſicut in proſperis gratiarum vota perſoluens, & ideo coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, aut jam accepit, aut abſque dubio accepturus eſt.

Nec annales Francorum ab Reginone diſſentiunt.

Otho verò Friſingenſis de eod. *Anno domini* ƆCCCLXXXVII. *Carolus imperator cum corpore & animo ægrotare cœpiſſet, principes regni apud Triburias circa tranſitum S. Martini, Arnolfum Carolomanni filium ad regnum trahunt: & mirum dictu, imperatorem qui poſt Carolum M. inter omnes reges Francorum maximæ fuit poteſtatis, in breui ad tantam tenuitatem veniſſe cerneres, vt panis quoque egens, ab Arnolfo jam rege facto ſtipendia miſerabiliter exigeret, ac ab ipſo paucos fiſcos in Alemannia gratanter ſuſciperet. Vide humanarum rerum miſerrimum ſtatum. rex iſte qui in diuiſione Orientalis regni acceperat inter fratres minimam portionem, ad tantum primò venit faſtigium, vt tam Orientalia quam occidentalia regna cum Roman. ſuſciperet Imperio, ad tantam poſtremò dejectionem venit, vt panis quoque egeret. Dicere hic poterat cum Iob, Eleuaſti me ſuper nubem & alliſiſti validè. & cum Pſalmiſta: Eleuans alliſiſti me. quid enim proſperitatem mundi, quàm nubem dixerim? quæ innitentem ſibi tranſeundo citò decipit, leuitate ſui acclinantem ſuſtentare nequit. Quanto ergo quis altius ſuper nubem leuatur, eo validiùs terræ alliſus quaſſatur. Hic tam miſerrimus & juxta philoſophos fortunæ in modum rotæ nunc ſumma nunc ima vertentis ludus, ſecundum verò rei veritatem regna mutantis Dei nutu, anceps rerum ſtatus ad declinandam mundi miſeriam, verámque vitam appetendam nos prouocare poſſet. Ferunt de Carolo, quod Chriſtianiſſimus fuerit. vnde hæc ei circa finem tentatio ad probationem eueniſſe creditur, ſequenti enim, ex quo regno pulſus eſt, anno diem obijt, ac in monaſterio Augenſi humatus eſt.*

POSO

Digitized by Google

POSO
SEV
BOSO
EPISCOPVS MERSEBVRGENSIS.

DIetmarus chronologiæ altero, laudat Boſonem Merſeburgenſem pontificem prioribus voluminibus à me præteritum, hic, quod apud Bojos natus & denatus ſit, reponendum: quamuis in eccleſiaſticorum Faſtorum cenſum non venerit, de pietate tamen ejus & religione ſtudióq; Barbarorum ad Chriſti ſacra ducendorum, apud quos Apoſtoli munere defunctus eſt, nihil omnino dubitandum, quibus ſibi rebus haud dubiè gradus in cælum certiſſimos extruxit, per quos poſt mortem ad ſocietatem beatorum peruenit. Primum enim apud S. Emmerami Ratiſponæ ad omnem pietatis virtutē eruditus, cælo ſe deuouit. Inde ab Imperatore Othone in Saxoniam ductus magnos inibi labores exantlauit, juxtáque Cicenſis eccleſiæ vrbem in ſaltu Boſonis ædem ſacram Deo poſuit. Dein Sclauis ſeu Bohemis, Luſatijs, Vngaris quà ad Orientem vergunt, vel adhuc in Idolorum cultu veræq; religionis ignoratione verſantibus; vel profeſſione Chriſtianis, moribus paganis, cæleſtē Chriſti legem ingenti cū labore & periculis promulgauit, totásq; gentes ad ſacra Chriſtiana traduxit, ac demum * Merſburgenſis pontifex creatus, magna curà, ſua ouilia pauit rexítque. Quæ omnia & his plura Dietmarus recenſet. Atq; hæc de B. Poſone omnium pontificum nobili exemplo.

ↃCCCCLXVII. *Cal. Nouemb. Ex Dietmaro. pag. 24.*

* *Merbelburgēſis*

B. KVNEGVNDA

VVLGO CVNISSA.

SECVNDA FVNDATRIX DIESSENSIS COENOBII AD S. STEPHANVM.

CIↃXX.
Ex Chron. ms. Dieſſenſ. Ex impreſſo Andecenſi. & Dietramicellenſi. Auent. l. 5 p. 400. Edit. Baſil.
** comite*

KVnigundis ſeu Cuniſſa nobiliſſimo dynaſta Conrado Comite Oeningenſi ad lacum Acronianum, nepote Othonis Magni Imperatoris ex filia Richalita, oriunda Friderico I I. Andecenſi * regulo, Arbonis filio, Friderici I. Comitis And. nepotè B. Rathonis ſeu Raſſonis pronepoti nupta, poſt mariti in peregrinatione Hieroſolymitana defuncti mortem & dotem ſuam, & quicquid opum poſſedit Chriſto conſecrauit, modica ſibi ad vitam tuendam portione retenta. Imperante namque Henrico S. Imperatore cœnobium nobile Canonicis qui D. Auguſtini leges ſequuntur, ad D. Stephani cultum & venerationem in agro Dieſſenſis opidi à quo cœnobium nomen accepit, condidit, ibidémque vitam ſanctiſſimè traduxit. Modicam quippe cellam in D. Stephani æde quà occidentem ſpectat, paullulum à pauimento ſub teſtudine elatam poſuit, vbi ſub rem diuinam condita Deo precibus votíſque litauit. Cæterum haud procul inde ſupra ſaltum in caſtro ad Villegiũ VVengauiano morabatur, vnde ſub nocturnas religioſorum preces vna duntaxat ancillâ comitata deſcendebat ad D. Stephani tẽplum, cujus valuas per cœleſtes janitores reductis vectium repagulis ſibi ſemper patere animaduertit, niſi quod ſemel duntaxat clauſas ſenſit, cùm in deſcenſu per agros & campos, vt imbrium de cælo cadentium aquis iter cœno & luto impeditum facilius expediret, ſudem è proxima pauperis villani ſæpe extraxit, quo corpus ne fallentibus veſtigijs in cœnum prolaberetur, ſuſtineret. Tum verò mirata quid eſſet, quamobrem ſibi præcluſa ædis ſacræ janua eſſet, quæ aliàs ſemper ſponte patuiſſet, aliquid ab ſe haud dubiè offenſum, quod aditum prohiberet, cúmq; in ſe ipſa altiùs deſcẽdiſſet, & omnes animi latebras perſcrutaretur, ſi quid deprehenderet, quo numinis clementiam ab ſe auertiſſet, nihil tamẽ (tanta innocentia viuebat mulier) poſſet reperire, quo deliquiſſet, tandẽ

** Similia habes Viridano I. p. 76. de Zacharia calceario. Wolfardo Hohenvvartenſis in 2. Vol. SS. Bauar. Henrico Heziloне, S Henrici Imperat. patre apud Selender p. 93.*

ancilla

Digitized by Google

ancilla, vide inquit, domina, ne conuulſo palo ſoluta & aperta abs te ſepis alienæ ſeries tibi portam templi præcluſerit. Et hoc ipſum erat, quod à ſacrario, innocentem alioquin, matronam prohibebat, nam ſimul palus ſuo loco reſtitutus eſt, & apertum ſepis interuallum expletum, illa ad templum & cellam ſuam in templo ſitam, reſeratis iterum diuinitus valuarum clauſtris, liberum aditum inuenit. Ad hunc modum cum totum vitæ curſum ſanctiſſimè transegiſſet, demum in ſua, quam condiderat, D. Stephani æde, tanquam mauſoleo cum hac epigraphe, quam ipſa dum viueret, lateri incidi curarat, vt honorum & nobiliſſimæ gentis titulos diſſimularet, humata eſt.

CVNIZZA. PECCATRIX. HVIVS. LOCI. DOMINATRIX. ISTAM. CONSTRVENS. AVLAM. II. NON. MARTII. OB. A. MXX.

Poſt quatuor demum ſeculorum ætates & annos ſex & ſexaginta, cum ſenio parietinæ templi fatiſcerent, muríque proximam ruinam minarentur, non inconſulto Auguſtano pontifice, Ioannes Schön Præpoſitus templum demolitus, nouum à fundamentis eduxit, & cineres venerandæ Cuniſſæ marmore clauſos cum Othonis & Luitholdi toparcharum VVolfartzhuſianorum oſſibus ad aram B. Virginis tranſtulit, & teſtam literatam quæ inſcriptionem continebat, ſiniſtræ abſidis parieti affixit. Narrantur in membranis Dietramicellenſibus quædam ad tumbam ejus facta prodigia, quæ hîc prætermitto, viuorum acta ſcribere ſolitus, non miracula mortuorum.

Digitized by Google

GISELA
REGINA VNGARIÆ IN BOICA NATA, S. HENRICI IMP. SOROR, S. STEPHANI REGIS VXOR, S. EMERICI MATER.

CIↃ XXXVI.
*Gottfrid Viterb. p.561 in Henr ſ. Iacob. Phil. Bergom de claris mulierib cap.180. p.165.
Vita S Wolfg. Wolf Selēd p 110 Auent l. 5 p 419. & 406.v 18,
Vita S. Henrici cap 27.
Bonfin p.176. dec.2 l 1.
Vita S Emerici.
Vita S Stephani regis Vngariæ
Vita S. Adelberti mart.
Cranzius l 4.c. 29.rer Sax.
Andr.Presb p.43
Sigeb. an.1010.
Vrſp.p. 213.v. vlt in Henr 5.
Sur. in Vita S Steph. reg Vng. 20 Aug & Emerici 4 Nou
Chron Andec ms
Fabr. orig Sax l. 2 p. 315. § 3.
Bar an.1002.n.9
Wippo
Hermannus.
Hartm: Schedel. p 15. ms.
Babenberg.
Io Steindel. an. 1009.*

PRimùm, ne memoriam nomen ipſum confundat, ſciendum, eo ipſo tempore, quo Giſela ſeu Giſala S.Henrici Imperatoris ſoror, S. Stephano nupta fuit, tres alias illuſtres fœminas eodem nomine vixiſſe: fuit mater Imperatoris Henrici, S.Conradi Burgundiæ regis filia, de qua Ditmarus lib. V.

Huic pater Henricus dux & genitrix erat ejus
Giſla ſuis meritis æquans veſtigia regis
Conradi patris Burgundia regna tenentis.

Fuit altera Giſla, quam Viterbienſis neptē (conſobrina quippe illius fuit) Henrici S. appellat ex Carolorum ſtirpe natam. Nam Carolum M. quartodecimo gradu attingebat, quod jactatus olim verſus docet:

Quando poſt decimam numeratur linea quarta,
De Carolo Magno proceſſit Giſala prudens.

Hæc primum Erneſto (Arnulfo, habet Viterbienſis & Andreas Presbyter) Sueuorum principi nupta Erneſtum & Hermannum edidit. Deinde Conrado Franconi, qui poſt Henricū S. imperauit, juncta fuit. Henricum III. Imperatorem Conrado dedit.

Tertia Giſela Guilelmi Burgundi, ex ſorore Henrici S. filia, vt eſt apud Bōfiniū, quā Stephano fuiſſe deſponsā ajūt, quod extra verū.

Quarta hæc noſtra eſt (quamuis aliæ quoq; alijs temporibus complures cognomines fuerint) Henrici Imperatoris S. germana ſoror nupta regi Stephano, vt omnes conſenſu narrant hiſtorici, præter annales Vngarorum, qui ante Bonfinium nomine M. Ioannis de Thvvroz & Theobaldi Fegcheri, quorum nulla eſt auctoritas, prodierunt.

De hac ergo Giſela Hezilonis Bojariæ principis filia, ſorore Henrici S. hîc narramus, quam omnes rerum ſcriptores certatim ab omni religionis officio plurimum celebrant. Nata hæc Giſala

in Bojaria

GISALA MATER S. EMERICI.



Giſala Pannonici coniunx Ducis, obſes amoris
Cæſareos inter Pannonicosque ſinus.
Giſala paganum nimis execrata Zamolxin,
Dedocuit populos impia ſacra, Deos.

Oſtenditq; pijs cælum cælique ſatorem,
Próque pijs natum virgine Matre Deum.
Sanguine quæ quondam caluerunt hoſpitis aræ,
Sanguine nunc Agni non moriente calent.

Digitized by Google

Digitized by Google

in Bojaria Henrico Hezilone principe Bojorum, matre Giſala Cõradi regis Burgundiæ filia, nepte ex fratre S. Adelhaidis Auguſtæ. Nomen variè ſcriptum lego: Iacobus Philippus Bergomenſis Geiſillam & Gallam nuncupat; Bonfinius Gyslã, Auentinus Giſalam, Cuſpinianus Giſelã: veteres Vngarorum annales Keislam vocant, & filiam Gertrudis ſororis S. Henrici faciunt ex Guilelmo natam: pater Hezilo cum quaternos ſimul liberos id æui præſentes ad S. VVolfgangi genua admouiſſet, vt illis bene precaretur, hoc de omnibus oraculum accepit, Henricum fore regem, qui & imperator poſtea ex ejuſdem vaticinio factus eſt; Giſalã hanc noſtram, reginam; Brunonem, epiſcopum; qui poſt Sigefridum Auguſtanum Auguſtanus epiſcopus creatus eſt: & Brigitam antiſtitã (vt in nouo D. Pauli parthenone Reginoburgi tum excitato facta eſt) fore. Hanc D. VVolfgangi vocem euẽtus veram oſtendit. Quàm verò religioſa matrona fuerit Giſala, ex Bonfinio docebo, cujus hęc ſunt verba. *Ex vxore hac* Giſala *plures filios diuum regem tuliſſe ferunt, & in primis Emericum, vt de cæteris ſileam, quorum nomina non traduntur, tot diuinis dotibus imbutum, vt è diuinis quoque parentibus promanaſſe videatur. Præter pudicam temperatiſſimámque vitam tantum in* deos hominésq; pietatis oſtendit, vt diuino potius quam humano conſenſu ſe Stephano Gysla conjugaſſe reputetur. Certatim vtrinque ſanctiſſima facta manabant, diuina charitate neuter æquo animo ſuperari patiebatur, & in Chriſto conjuncti conjugalem amorem redintegrabant. Quanquam in omnes pientiſſima, præcipua tamen beneficentia in miſerabiles ac calamitoſos, in ſacerdotes ac templa vtebatur. Baſilicas omnes profuſa liberalitate proſequebatur, ne quid diuinarum rerum ornamentis deeſſe videretur * ſimulacra deorum expoſtulato argento obryzóque multa dicauit. Item gemmatas phialas, ſacras veſtes ex auro contextas, inſano ſumtu factas per collegia ſacerdotum ſæpe diſtribuit. Veſprinienſem baſilicam propria impenſa exædificauit abundéque donauit rebus omnibus quæ cultui diuino, vſui eſſe ſolent, vberrimos quoque prouentus adjecit, vnde antiſtites ceteráque ſacerdotum collegia pro dignitate viuerent.*

** Ita Bonfinius καταχρηστικῶς parum religioſè ſuperos & ſanctos appellat Deos*

** quàm profanè loquitur Chriſtianus ſcriptor.*

Et infrà de morte Emerici *Mater, ejus obitum aliquanto intemperãtiùs tolerabat, & grauiter angebatur, quod optimũ regni ſucceſſorẽ amiſerat.*

Bonfinius docet, ſine teſte tamen, Stephanum duas habuiſſe vxores cognomines; quod Auentino non placet: nam Giſala S. Henrici ſoror mortuo Stephano ſuperſtes fuit, & apud Vngaros vixit, quoad Henricus III. imperator eam ſecum in Germaniam reduxit, & Batauis Bojorum collocauit, quod his verbis Auentinus teſtatur; *Cæſar ex Vngaria reuerſus ſecum Giſalam reginam vxorem D. Stephani abducit, Bathauiæ vbi in templo ſacrarum fœminarum ejus*

pag. 419. v. 20. Baſil. edit. anno 1045.

mauſoleum

mauſoleum oſtenditur, ab Vgris venerabundis aditur, collocauit. Pro cælite ergo Giſalam Pannones coluerunt.

Iacobus Philippus Bergomenſis miris modis celebrat Giſalam noſtram, ſed hiſtoriæ miſcet falſa & ſæpius exerrat. Patrem ejus appellat Othonem Saxonem, qui non pater ſed atauus fuit, vt abauus Auceps, auus Henricus, Othonis M. imperatoris frater, pater Henricus Hezilo, Henricum enim Sanctum origine Saxonem jam volumus, vt ex Ditmaro liquet. Nomen quoque corrupit, quando pro Giſala, vel Giſla, Geiſillam & Gallam reſcribit. ratio etiam temporum à Bergomenſi non habita, cum religioſam Adalberti martyris filiam tradit, quem puto nunquam viſum à Giſala. Verum tamen illud S. Stephanum ab illa cum tota ferè gente conuerſum. Cartuitium nihil hic moror. Fertur Giſila pro ſua gente ſanctis moribus, & vera virtute inſtituenda aſſiduo precatiunculam hanc ad Deum velut ſupplicem libellum adhibuiſſe, *Deus qui eccleſiam tuam nouo ſemper fœtu multiplicas, concede his famulis tuis, vt Sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt, per Chriſtum dominum noſtrum.*

Vanum verò illud Bergomenſis, Emericum patri in regno ſucceſſiſſe, cum ante patrem ſit extinctus. De morte etiam diuerſa tradit ab Auentino, qui illam Batauis Bojorum, hic Albæ regię propter D. Stephani mauſoleum ait ſepultam. Verba Bergomenſis audi, *Obijt hæc ſanctiſſima regina non celeri neq; repentino obitu, ſed ſenſim ac leui quidem deficiens morbo. Qua defuncta vniuerſi populi oſtenderunt in ejus ſepultura vitæ ipſius deſiderium ac ſanctimoniam. nam è veſtigio totius regni populi propter ipſius admiranda miracula publicis ſimul concurſibus & votis ad inferias conuenere: tum religioſi cujuscunque ſtatus ac dignitatis feretrum ſuſtulerunt, quibus deniq; reliqua turba mixtis fœminis ac pueris, non vt magnæ reginæ exequijs aſſiſtentes, ſed veluti omnium parenti cum ejulatu & fletibus ſequebantur. Atq; ita ipſam cum viro ſuo rege Stephano eodem ſepulchro in Albenſi baſilica quam in honore beatiſſimæ Dei genitricis conſtruxerant, condigno honore ſepeliere: vbi ambo crebris miraculis diu claruere. Vnde & poſt obitum ejus (vt plerunq; juſtis euenire ſolet) major laus ei aſſecuta eſt. Præterea illius gloriam reginarum quarundam poſteriorum calamitates clariorem illuſtrioremque fecere.*

Alia quæ de Giſala narrant Annales Vgrorum, in aliam Giſalam, non vxorem Stephani conueniunt. Nos Giſalam noſtram ſancti regis conjugem, ſancti Imperatoris ſororem, ſancti filij matrem colamus, quæ vt ab alijs ſanctitatis exempla accepit, ita viciſſim & ſuis & alijs dedit.

HENRI-

Digitized by Google

HENRICVS III. AVGVSTVS DVX BOIORVM.



Armatum contra furit ut rex Teutona Pãno
Atq; agit in noſtros agmina mille Duces?
Flumina claudebat tergum, mediaq; paludes
Cingebant, frontem mole premebat eques;
Vincendum noſtris fuerat. cunctisue cadendum,
Sed Numen cauſsâ pro meliore ſtetit,
Et graue turbinibus cælum omne armauit in hoſtem:
Grates, vt poſſet vincere, victor agit.

HENRI-

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICVS III.

ROMANIS II. RELIGIOSISSIMVS IMPERATOR,

BOIARIÆ PRINCEPS.

HENRICVS III. inclitus Boiariæ princeps, optimus Romanorum rex, ſummus imperator, domo Franco, Conradi Saliqui & Giſelæ Carolinæ, quæ prius Erneſto Sueuorum principi nupta fuerat F. primam lucem felix poſt dominum natum CIↃ XVI. aſpexit, ab optimis parentibus optimè inſtitutus, Boiorum * dux (extincto Henrico D. Kunegundis fratre ſub annum CIↃ XXVI.) eodem anno CIↃ XXVI. à patre Saliquo dicitur. Tutelam illius & curam geſſere Bruno Auguſtanus S. Henrici germanus frater, & Engelbertus Fruxinenſis pontifices. Eodem anno rex Romanorum à patre deſignatus, ſed poſt biennium demum, vt eſt apud Lambertum anno CIↃ XXVIII. ab Piligrino Colonienſi pontifice Aquis Graneis inauguratus. Anno pòſt deinde milleſimo XXXVI. cum Henricus ageret vigeſimum, pater ei Cutonis Angliæ & Daniæ potentiſſimi regis filiam conjugem dedit, ex qua nullam ſobolem ſuſcepit, nec amplius biennio illius contubernio eſt vſus: Hermannus Eliphdrudam ſeu Kunigundem ait appellatam. Anno CIↃ XXXIX. Henricus patrem amiſit, Trajecti morte defunctum, quem Auguſtam Nemetum deduxit, ibíque terræ mandauit, pietate in patrem tanta, quanta non memini aliàs legere vel audire, ſiue noſtra & Chriſtiana, ſiue priſca & pagana tempora percurram. Poëtarum figmenta humeros Aeneæ ſeniori Anchiſæ ſubjectos narrarunt, ijdemq; vates, Siculos geminos celebrāt, qui ex Aetnæ incendio parentes extulerint, & perpaucos alios. De noſtro Henrico, quid VVippo narret vetus ſcriptor, & qui ipſi Conrado imperatori patri Henrici ab ſacris erat audiamus: *Anno*, inquit, *dominicæ incarnationis CIↃ XXXIX. dum imperator Cunradus jam in filio ſuo rege Henrico regni rem, imperij autem ſpem bene locatam conſideret, cúmque pene omnia per regnum ad libitum ſuum inclinata videret, ipſo anno diem ſanctum pentecoſtes apud Trajectum ciuitatem Friſiæ celebrauit, vbi cum ſacratiſſimam ſolennitatem venerando magnificè cum filio & impera-*

CIↃ LVI. III. Non. Octob.

*rex Auentino, ceteris dux.

Herm. Contract.

Wippo in vita Conradi Salici p. 443.

trice coronatus procederet, ad menſam mediocri dolore correptus eſt, tamen ne tantæ diei lætitiam perturbaret, dolorem diſsimulauit. Sequenti die cum morbus lethalis vehementer inſiſteret, imperatricem cum filio rege ad prandium exire jubet de cubiculo. Interea imperator finem ſibi imminere ſentiens, ſicut in vita ſanus in actu ſemper conſtans & ſtrenuus fuit, ita in extremis nihil ſegnioris fidei permanſit, & vocatis epiſcopis corpus & ſanguinem domini & crucem ſanctam cum reliquijs ſanctorum apportari fecerat, & erigens ſe cum lacrymis valde affectuoſis, in confeſsione pura & oratione intenta ſanctorum communionem ad peccatorum remiſsionem deuotiſsimè accipiens, imperatrici & filio regi Henrico per fida monita valedicens ex hac vita migrauit xı. Nonas Iunij feria II. indict. VII. viſcera imperatoris apud Traiectum condita ſunt, & rex locum ſepulturæ donis & prædijs ampliauit. Reliquum corpus ab imperatrice & filio rege, vt optimè excogitari poterat, inuolutum & reconditum vſque Agrippinam Coloniam vectum, per cuncta cœnobia illius ciuitatis atque Moguntiæ ſeu VVormatiæ, ſeu illorum quæ in medio fuerant, omni populo ſequente & orante deportatum, incredibili oratione & magnis eleemoſynis pro redemptione factis, triceſima octaua, qua obdormiuit die in Spira ciuitate, quam ipſe imperator, ſicut & poſtea filius, multum ſublimauit, honorificè ſepultum eſt. Nam gratiam Cunrado imperatori Deus addidit, quod non vidimus tantas lamentationes vniuerſorum, tot orationes, tales eleemoſynas alicui imperatorum corpore inſepulto factas, &, ſicut percepimus, referente epiſcopo Henrico Lauſanenſi, cum cæteris Burgundionibus, qui illum de obitu vſque ſepulturam proſecuti ſunt, filius Cæſaris Henricus rex ad omnes introitus eccleſiarum, & ad extremum ad ſepulturam humeros ſuos corpori patris, vltra modum humili deuotione ſuppoſuit, & non ſolum quod filius patri in charitate perfecta, ſed quod ſeruus domino in timore ſancto debet, hoc totum rex patri defuncto ſtudioſiſsimè exhibuit.

Nunquam, inquam, quod ſciã, factum memini, vt rex ipſe patrem ſuũ imperatorem humeris ſuis efferret & tumulo inferret. Rara pietas in parentem & meritò literis & monumentis ornanda, quam mox alia longè majori virtute illuſtrauit. Nam poſt debellatum Boëmum & Abantem Pannonum regem ad accipiendas pacis conditiones adactum, Conſtantiam venit, ibíq; in ſolenni pontificum & procerum cœtu primum ipſe publica fide profeſſus omnibus ſe omnium in ſeipſum commiſſorum nulla inimica conjuratione aut concertatione excepta, gratiam facere, ex animo ignoſcere, perindéque petere, vti ſibi ab omnibus ignoſcatur. Deinde omnes imperij principes vehementer adhortatus eſt, vti ſuo exemplo ſuis quiſque inimicis, hoſtibus & aduerſarijs ignoſcerent, publicóque edicto publicam per omne imperium inaudito

dito

dito exemplo pacem ingenti cum imperij fructu ſanxit. Hoc ſalutari poſteris etiam ſeculis documento tradito, Moguntiam conceſſit, ibi quoque aliud ſpecimen virtutis editurus. Duxit in conjugem nobiliſſimam virginem Hagnen, quam vulgus ſcriptorum Agnetem appellant, Guilelmo Pictauorum regulo natam. Hanc Moguntiam deductam curauit ritu ſancto, feſto & ſolenni à pontifice in reginam inaugurari, & cum illa Ingelheimium regiam imperatorum profectus ſacra nuptialia piè religioséque celebrauit. Ad quæ cùm innumera fæx hominum, ludionum, hiſtrionum, geſticulatorum, comœdorum & tragœdorum confluxiſſent, vt delicias regi populóque facerent, ille omnes illos menſarum ſorices, calicum trahones, ventres, & culinas omnes quadráſque ritu canum perlambentes faceſſere juſſos ex vrbe & nuptijs jejunos, indonatos, vacuóſque vt venerant, plorantibus aqualiculis dimiſit, omniáque regiæ menſæ analecta, & culinæ cellæque reliquias in miſeros, ægros, egentéſque diſpertiuit. Habes ab noſtro principe illuſtre pietatis exemplum in parentes, habes indulgentiæ aduerſus inimicos, habes in pauperes benignitatis. Audi gratiſſimi in Deum animi cum ſumma religione conjunctum documentum. Petrum regem ſuum Pannones, Aba tyranno creato, exegerant, Petrus ad inuictam Henrici dextram, quamuis anno ſuperiore hoſtis, confugerat, opémque Cæſaris implorarat, quam rex præſentem illi ſpopondit, & anno milleſimo quadringenteſimo quarto in regnum cum exercitu reduxit. rem his verbis Auentinus deſcribit, *Sed tertio Henrico jam antea experimentis cognitum erat, Ouonem infidum genus Vgrorum ingenio mobili nouarum rerum auidum, ſeditioſum, diſcordioſum eſſe. Itaque quæ poſtulabantur neque abnuere neque polliceri cœpit, & inter eas moras promiſſa retentus ſecum legatis Vngaricis expectat. Dúmque Boiemi atque Boij conueniſſent, hiſce ſe ſubſequi juſsis, quaſi venandi cauſa Hunnoburgium ſe confert. ibi ſeptem dies commoratur. Nemo omnium apparet, neque Ouo vt pollicitus erat, præſtò fuit, tantum abfuit, vt promiſſa compleret. Cęſar Bezelinum quem, ſicuti ſupra retuli, obſidem acceperat, Nannonémque ſcribam Ouonis hactenus ſecum retentum, nec tunc abire permiſſum, ad Ouonem cum mandatis ire, triduo reuerti, mandata referre jubet. Illi vbi ad Ouonem deuenere, paucitatem noſtrorum referunt, facilè perpaucis interfectis Cęſarem intercipi poſſe docent. Idem Bernulphus & Machthunus aulæ ſorices literis aperiunt. Ouo ergo quàm maximas omnis generis copias comparat, obuiam, ceu officij gratia, Cęſari pergit. ipſum cum tam paucis aduentantem circumuenire dolo ſimulata pace decreuit. Cęſar quoque inter hæc, cui nota fraus*

Annal. vet. Vngar. in Abante
Bonfin. dec. 2. l. 2.
Sigeb.
Herm. an. 1044.
Lambert. eod.

Auent. l 5. p. 413. edit. Baſil. 1580. p. 414. & 15.

Ouonis jam pridem fuerat, cum Bojorum & Boiemorum intenta atque infeſta acie in meridionalem Vngariam procedit. Iámque exercitus duntaxat vnius diei itinere diſtabant. Ouo vbi videt Henricum contra ac ratus erat, magna vi, haud imparatum ad ſe contendere, prælium niſi ipſe pareat, minimè detrectare, fretus multitudine atque paucitatem noſtrorum contemnens, miſsis nuncijs ſtatuit die tertio, loco conſtituto, cum Cæſare aperto marte confligere. Cæſar inſtructos ordines ad locum pugnæ deſtinatum deducit, ſed neminem hoſtium vſquam offendit. Accerſitis conſultiſque locorum gnaris, vlteriora Pannoniæ inuadere ſtatuit. Oedenburgio (ſempronium literati vocant) iter facit, cúmq; ad Rabaniſſam flumen perueniſſet, ab interiore Vngaria, locis paluſtribus: per quos amnis defluit, arcetur. Cæterùm Vgris profugis deducentibus, tota nocte, recta via, meridiem verſus aſcendit, donec vadum pontémque inuenit. Moxque præſidio, quod ibi Ouo locarat pulſo, paludes ſimul ac flumen impune tranſit; nemine reſiſtente ad Arrabonem aliud flumen, opidum ejuſdem cognominis, quod Scaurinum Romani vocarunt, peruenit. Iámque qui in principijs erant, amnem ſuperant, altera ripa potiebantur. Ecce tibi ſubitò latiſsimam planitiem (vbi quondam deſerta Bojorum fuere) armatis quaſi ſilua ſuccreuiſſet oppletam conſertámque cernunt. Nihiloſegnius cæteri amnem ſuperant ſocijs ſe conjungunt, abſque cunctatione aciem inſtruunt. Cæſar poſteaquam videt acerrimorum hoſtium multitudine ſe clauſum, à tergo flumen obſtare, neque fugæ vllam ſpem eſſe, confiſus cauſa & arte militari, ſuos ſpem in Deum opt. max. duntaxat collocare, Chriſtúmque adprecatus, ſigno dato, cohortes paulatim incedere jubet. Idem facit hoſtium exercitus. jam eo ventum erat, vt à ferentarijs prælium committi poſſet, & non longius hoſtes aberant, quàm quò telum adijci poſſet. Cùm repente, ſiue illud diuinum munus, ſiue caſus fuit, obductæ cælo nubes condidere ſolem. mox ventus excitato puluere ora oculos hoſtium implet. deinceps turbo, quo nihil vehementius cum ingenti fragore erumpit, proximos quosque Vgrorum proſternens, largum quoque poſthac imbrem procellæ excludunt. Ingens aduerſus æſtum puluerémque præcipuè fugientes perſequentibus auxilium. nam ea loca plana, omnino ſicca, aduſta, proinde puluerulenta ſunt: quibus etiam noſtro æuo illac iter eſt, aduerſus vim pulueris ſpecillis ocularijs, thecíſque vitreis vti ſolent. Cæſar cæleſti beneficio (ita noſtri, quos intactos ea tempeſtas præteribat, interpretabantur) animatus Vgros diuina ira attonitos, metu perculſos inuadit, ſternit, terga vertere cogit. Ouo poſtquam ſuos partim fuſos, partim fugam capeſſere, ſéque cum paucis relictum videt, & ipſe fortunæ cedit. Noſtri fugientes more pecudum multos trucidant, triginta millia paſſuum inſequuntur, ſacrificuli epiſcopi capti, haſta regia aurea reperta, Nano ſcriba interceptus eſt, in cujus crumenula à zona ſerica dependente, epiſtola Bernulphi & Machthuni inuenta, & à plerisque lecta Cæſari demum offertur.

Digitized by Google

Quam cùm legiſſet, Bernulphum & Machthunum fidei, quam violarant, meritas pœnas ſoluere crucifigique imperat. deinde caſtra facit, receptui canit. Boij atque Boiemi, vbi ſatiati cæde ſunt, ad caſtra reuertuntur, eodemque in loco Cæſar laneis duntaxat indutus, item cæteri milites equitèsque corpora in ſolum proijciunt, ſignum cæleſte adorant, Chriſto domino Deóque noſtro grates agunt, honorem habent. Et quoniam tam læta atque incruenta victoria contigit (quippe centum duntaxat ac octo deſiderauit) obliuionem omnium rerum, more Chriſtiano decernit. Quidquid hactenus aduerſus ſe à quocunque peccatum ſit, abolendum cenſet, omnibus inimicis, qui pœnas meruere, ignoſcit. Ingens hæc victoria fuit, anno ſalutis CIↃ XLIV. quarto nonas Iulij, iſque dies in faſtos relatus, adhuc feſtus eſt, quem vulgus ſuperſtitioſum inter atros computat. Sed confecto prælio tum verò cerneres homines, equos, ſagittas, arcus, haſtas, enſes, veſtes, iacula, tela, cetera inſtrumenta militiæ humi paſsim ſtrata iacere. Cæſar ob fœtorem cadauerum triduo diuerſo itinere exercitum victorem circumduxit, Albámque regem Vngariæ caput ſedémque regni (quamobrem Teutones Stuelvveiſenburg vocant) cum victricibus ſignis intrat: certatim epiſcopi, proceres, ciues, populúſque Vgrorum ad Cæſarem coëunt, ob tam inſignem victoriam gratulantur, Cæſarémque in templum deiparæ virginis deducunt, in regio ſolio collocant, regem conſalutant in verba ejus jurant. Cæſar Vgros Boiorum jure donat, conuocatóque conſilio Petrum cum popularibus in gratiam redigit, proceres illi Sacramentum dicere, eundem precario regnare jubet, Bojorum Bojemorúmque copias eidem præſidij cauſa permittit.

Illud improbè vt plerunque Auentinus in rebus diuinis, quod dubiè referat vel in caſum, vel in Deum, illud ingens prodigium ſubitæ tempeſtatis in hoſtes tantum effuſæ. Sed Auentinus illa verba ex Curtio tranſcripſit qui in IV. Vol. de Alexandro eadem præſcripſit, *Cùm repente*, inquit, *ſiue illud deorum munus, ſiue caſus fuit, obducta nubes condidere ſolem.* Ipſe tamen Auentinus mox cæleſte beneficium ex totius exercitus interpretatione vocat. certè veteres Vgrorum annales diſertè hoc ingens prodigium exponunt: *Tradiderunt autem*, inquiunt, *Teutonici, quòd cum ad prælium appropinquaſſent, cum cæleſti ſigno nebula tenuis apparuit, turbóque vehemens diuinitus incitatus terribilem puluerem obtutibus ingeſſit Hungarorum, quos jam pridem, vt dicitur, quia Petrum ſuum regem dehoneſtauerant, dominus apoſtolicus anathemate damnauerat feriendo. Commiſſo itaque prælio, inter vtrumque diu & acriter pugnatum eſt, ſed tandem Cæſar diuino fretus auxilio felicem obtinuit victoriam.* Audiamus antiquiſſimum ſcriptorem Glabrum, idem prodigium Henrico eodem bello datum. *Poſtmodum verò gens Hungarorum jam ſecundò prædicto regi rebellis exi-* *lib. 5. cap. 4.*

ſtens aduerſus eundem præliari diſpoſuit: contra quem egreſſus, licet impar numero, confidens tamen in Dei auxilio confligere cum ipſis non timuit. non enim erat in exercitu ipſius plus quàm ſex millia virorum, cùm in Hungarorum phalangibus æſtimarentur ducenta millia armatorum. Erant etiam cum rege quamplures epiſcopi, cum clericis multis, qui pietatis gratia inermes cum eo in certamen introierunt: in eóque certamine tanta caligo ac tenebræ occupauerunt Hungarorum partem, vt vix vir juxta ſe poſitum quis illorum poſſet agnoſcere. Exercitus quoque regis videbatur clariſſimo ſole circum & infra perluſtratus, qui fortiter dimicans, innumerabili cæde proſtrauit aduerſarios fugauítque, cum de ſuis perpauci corruiſſent. capta verò præda hoſtium ac regno, vt primitus cœperat, ordinato, triumphans rex deuenit ad propria.

Nec Bonfinius miraculum negat. *Alemanni,* inquit, *plerique tradunt, ab initio pugnæ cum cæleſti ſigno tenuem in aëre nebulam apparuiſſe, mox hinc ventum vſque adeo vaſanum fuiſſe ſuſcitatum, vt puluerem Vngarorum luminibus intolerabilem obijceret, liberúmque obtutum impediret. Miraculum hinc editum fuiſſe affirmant, quia paulò antè quàm pugnam inirent, ab apoſtolico legato Abæ ac Vngaris, ob injuſtam Petri exactionem, promulgato anathemate, humana conſuetudine fuerat interdictum. Sed cum prælium cruentiſſimum diu prorogaretur, Henricus tandem ne * incruenta quidem victoria hoſtes fudit fugauítque.*

** fortaſſe legendum: ne cruenta quidem, &c.*

Iam quod de pietate, religione & grato animo regis noſtri Auentinus tradit, Vngari quoque ſcriptores atteſtantur. Regis Abæ ſeu Abantis, ſeu Obonis, Ouonis, Vuonis nomen non te moueat, idem rex fuit, nomen à ſcriptoribus variè expreſſum & corruptum. Anno dein CIↃ XLVI. Romam cum * Hagne profectus exauctoratis pontificiæ ſedis competitoribus, ex concilij patrum ſententia Suidgerum Babenbergenſem antiſtitem in faſtigium ſummæ poteſtatis extulit, à quo cum regina ipſis natalitijs Chriſti ſuum imperij Romani nomen decúſque & inſigne auguſtum accepit. Nullæ tum Romæ turbæ (vt plerunque in imperatorum præſentia & inauguratione conſueuere) pax ſumma, gratulationes, acclamationes, ſolennes epulæ cum ſumma patrum populíſque tranquillitate celebratæ. Multa dein illi digniſſima relatu accidére, quæ juuat ex ipſis fontibus qui hæc tradidere haurire. Graſſabatur id loci per omnem Italiam, Galliam, Germaniam, damnata ſacrilegi ambitus peſtis, cùm paſſim ſibi ſacri ordinis homines ſacerdotia, cathedras, pontificatus, auro quærerent. In hos impios ſacrorum emtores, venditores, nundinatores & Clemens Romæ edictum promulgarat, & Henricus coactis ex omni imperio, præſente etiam vt Baronius exiſtimat, pontifice, patribus ad

** Agnete*

Clemens II.

Digitized by Google

eandem ſectam extirpandam antiſtites hiſce verbis allocutus eſt, *Lugens vobis incipio loqui, qui vice Chriſti in eccleſia conſtituti eſtis, quam ipſe ſibi deſponſauit ac precio ſui ſanguinis redemit. Sicut enim ipſa gratuita bonitate de ſinu Dei patris per virginem ad nos natus eſt redimendos, ita ſuis præcepit, mittens eos in orbem vniuerſum, apoſtolis: Gratis accepiſtis, gratis date. Vos autem auaritia & cupiditate corrupti, qui dum conferre deberetis in hujusmodi transgreſſionis, dando & accipiendo, canonem, maledicti eſtis. Nam & pater meus, de cujus animæ periculo valde pertimeſco damnabilem, auaritiam in vita nimis exercuit. Idcirco quicunque veſtrorum hujuſce ſe norunt contaminatos, oportet vt à ſacro miniſterio ſecundum diſpoſitionem canonicam arceantur. Patet ergo manifeſtiſſimè, quoniam propter hanc offenſionem venerunt ſuper filios hominum diuerſæ clades, fames videlicet atque mortalitas, nec non gladius. Omnes quippe gradus eccleſiaſtici à maximo pontifice vſque ad oſtiarium opprimuntur per ſuæ damnationis pretium, ac juxta vocem dominicam in cunctis graſſatur ſpiritale latrocinium.* Glab. lib. 5. c. 5.

Attonitis omnibus præſulibus, qui ſibi malè conſcij erant, remedium idem præſcripſit, & totum eccleſiæ etiam Romanę ſtatum cenſor mundi Henricus emendauit, vt ibidem Glaber hac narratione confirmat, *His denique ab imperatore acerrimè * perlatis, ſtupefacti pontifices quid illi reſponderent non habebant. Pertimeſcebant enim carere ob hanc culpam proprijs epiſcopatuum ſedibus. Et quoniam non ſolum in Gallicanis epiſcopis hac peſſima pullulauerat nequitia, verùm etiam multo amplius totam occupauerat Italiam (omnia quippe miniſteria eccleſiaſtica ita eo tempore habebantur venalia, quaſi in foro ſecularia mercimonia) cernentes quoque epiſcopi graui ſeſe inuectione irretitos, miſericordiæ * operam implorabant. At ipſe princeps miſericordia motus tale conſolationis protulit verbum: ite inquiens & quod illicitè accepiſtis, bene diſponere ſatagite, ac pro anima patris mei, qui hac noxa reus vobiſcum tenetur, attentius intercedere mementote, quatenus ei indulgentiam hujus facinoris à Deo poſſitis acquirere. Tum propoſuit edictum omni imperio ſuo, vt nullus gradus clericorum vel miniſterium eccleſiaſticum pretio aliquo conquireretur. Ac ſi quis dare aut accipere præſumeret, omni honore deſtitutus anathemate multaretur: ſpopondit inſuper promiſſum hujuſmodi dicens, ſicut enim mihi dominus coronam imperij ſola miſeratione ſua gratis dedit, ita vt ego, quod ad religionem ipſius pertinet, gratis impendam. Volo, ſi placet, vt & vos ſimiliter faciatis.*

* prolatis

* opem

Sed memorabile factum Henrici ſubjungit Malmesburienſis de argẽtea fiſtula, quam olim puer cum pontificatu permutarat, & poſtea grauiſſimè luit. *Tempore*, inquit, *Conradi Patris à quodam clerico fiſtulam tulerat argenteam, qua pueri ludo aquam jaculantur, pactus epiſcopatum cum foret imperator. adultus repetenti pollicitum impigrè* Lib. 2. c. 13. Apud Baron. ann. 1047. n. 2.

pigrè dederat. Nec multo pòſt, aſpera valetudine correptus decubuit, morbo creſcente triduo exſenſus & mutus jacuit, cum in ſolo pectore vitalis halitus palpitaret. Nec aliud vitæ indicium erat, quàm quod manu apud nares appoſita quantuluſcunque ſentiebatur anhelitus. epiſcopi præſentes triduano indicto jejunio, lachrymis & votis pro vita regis ſuperos pulſabant: quibus vt credi fas eſt remedijs conualeſcens, accitum epiſcopum, quem injuſtè fecerat, ſententia concilij depoſuit, profeſſus ſe toto triduo dæmones infeſtos vidiſſe flammam in ſe per fiſtulam jaculantes adeo pertinacem, vt noſter ignis in comparatione illius, jocus putetur, & nil calere. Iuuenem inter hæc ſemiuſtulatum latum aduentaſſe, ferentem immenſæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum, cujus viſione & laticis aſpergine delinitum, extinctis ardoribus in ſanitatem euaſiſſe, ephebum illum beatum fuiſſe Laurentium cujus eccleſiæ tectum longa carie diſſolutum compaginauit, & præter alia xenia calice aureo honorificauit.

Lib. 5. cap. 4. apud Baron. anno 1047. n. IX.

Nec illud tacendum de nobili equo illi per quendam præſulem oblato; *Contigit,* inquit Glaber, *tunc temporis, vt abbas cujusdam monaſterij honeſtæ poſſeſſionis equum valde optimum præſentaret, quatenus in loco ſibi commiſſo ipſius amicitiam conciliaret. Fuerat denique idem equus, ignorante abbate, cuidam militi clam ſublatus, ſibique precio venundatus. At imperator gratanter illum ſuſcipiens ſuimet euectioni mancipauit. Quodam igitur die eidem equo inſidens iter agebat, obuiam fit ei miles, cui præfatus equus furtim ſublatus fuerat, qui imprudenter aggrediens imperatorem in hujuſmodi prorupit verba, tu, inquiens, ô rex, qui cenſuram debes tenere totius juſtitiæ, equum modò fraudulenter abſtractum cerneris poſſidere. Cui illicò rex tale protulit reſponſum; ſi tuus inquit, eſt equus vt ais, accipe illum cum ſeſſore & educ tecum quò melius optas, & habeas vtrumque quouſque perſolutionem furti ſuſcipias. Miles quoq; exiſtimans ſibi illudi, hærebat ſtupens. Enimuero rex compulit eum vt manu injecta duceret vtrumque in ſuum dominium. Aſpicientes verò qui circumſtabant, ingenti admiratione ſtupuerunt. Ita nempe voluit ſuo exemplo admonere ſibi ſubditos imperator magno ſui periculo poſſidere audere aliquem alienum, itemque Simoniæ crimen in ipſum quoque principem vindicandum, ob idque ſic queſtus eſt. Quæ grates, inquiens rex, referendæ ſunt illi viro qui me tam ſubdolè in hanc impulit captionem? qui dum ab vniuerſis horribiliter deteſtaretur, ait rex, adducite illum vt ſecundum illuſionem, quam in me geſſit, in eo vindicetur. Ita quidem fremens imperator, qui tamen in ſe ipſum, qui munus accepiſſet in abbatiæ inueſtitura, maluit conuertere, pœnam illam, priuans ſeipſum ejuſdem abbatiæ collatione. Pergit enim author, Dúmque præfatus abbas accerſitus fuiſſet, ait ei, depone baculum regiminis paſtoralis quem credis largitione mortalis hominis debere geſtari. Quem cum à ſe projeciſſet, ſuſcipiens illum rex impo-*

ſuit

Digitized by Google

ſuit dexteræ imaginis Saluatoris, Vade. inquiens abbati, & ſuſcipe illum de manu omnipotentis regis, nec vltra pro eo debitor ſis alicujus mortalis, ſed libere vtere eo, vt decet culmen tanti nominis. At ipſe gaudenter illum ſuſcipiens, plurimis de tali facto alacritatem contulit, ac dehinc omni libertate viguit. Hucuſq; Glaber, qui & ſuperius * tanti principis cōmendans fortitudinem bellicam, vitiū quod intimè illi inhærebat ita deplorat dicens, Tamen proh pudor, vnum in eo erat nimiū reprehenſibile, quod incontinentia & carnis luxuria infamabatur. Hermannus quoq; Contractus *Quo tempore,* inquit, *regni tam primores quàm inferiores contra Imperatorem magis magiſque muſsitantes jam dudum eum ab inchoatæ juſtitiæ, pacis, pietatis, diuini timoris, multimodæq; virtutis tenore, in quo de die in diem debuerat proficere, paullatim ad quæſtum & incuriam quandam deficere, multúmque ſeipſo deteriorem fore cauſabantur.* Baron. to. xi. ſubjungit. * lib. 5. c. 1. ann. 1053.

Ne mirare, lector, dictum Glabri de Henrici vitio in venerem propenſioris; ſecutus eſt rex Dauidem errantem, quod ſolent reges, ſed & ſecutus eſt eundem pœnitentem, quod non ſolent reges; vt queritur D. Ambroſius. Nec Contracti reprehenſio laudem optimi imperatoris debet extinguere. Doluit viuens moriensque & veniam ab omnibus ſupplex ſuper peccatis & erratis omnibus petijt. Nam accipe quid Reginardus de hujus religioſiſſimi imperatoris pietate & pœnitudine, pœniſque quibus ſeipſum afflixit, & juſſus etiam, ab epiſcopis afflictus eſt, vt non ſolùm liberali, & ſua manu in pauperes aurum erogarit, ſed ad ſeruilem etiam verberationem corporis deſcenderit, & flagro in ſeipſum acerrimè vel ſponte vel juſſus animaduerterit, *Conſiderans,* inquit Reginardus, *imperator nominis majeſtatem longè ſuis præcellere meritis, nunquam inſignia regalia ſibi præſumpſit imponere, niſi clam per confeſsionis ac pœnitentiæ, verberum inſuper ſatiſfactionem, licentiam à quolibet ſacerdotum ſuppliciter mereretur.* Subdit de S. Annone archiepiſcopo iſtam verberum pœnitentiam ab eodem imperatore exigente. ait enim, *Tempore quodam magna imminente feſtiuitate, cum pontifices, duces, comites, & cujuſcunque alius dignitatis & ordinis viri regiam vndique properarent ad curiam, cum & ipſum mos & honor impoſitus trabeatum exigeret procedere, non inſcius ſanctitatis & vitæ probatiſsimi inter præſules, Annonis (vt ſuæ conſuetudinis ſeruaret inſtitutum) ſupplex & pœnitens eum cœpit adire. mox ſacer antiſtes auctoritate plenus, tali in negotio imperialem paruipendens magnificentiam, ſicut parcere ſolitus erat inopi & pauperi, ſic opportunitatem adeptus miſericors ſine miſericordia ſæuire cœpit in principem: nam vehementiſsimis eum inuadens correctionibus, quicquid animo pro juſtitia concitato ſe obtulit, liberè & conſtanter effabatur, illúmque duriſsimis verberum plagis* Apud Baron. to. xi. anno 1056. n. 7. & 8.

afflictum

affſictum non aliter ea die coronatum incedere conſenſit, quàm prius manibus ſuis triginta tres argenti libras in pauperes expendiſſet.

Legiſtíne vel audiſti vel meminiſti, lector, de vllo imperatore tam ſeuerum, graue, & acerbum pœnitentiæ genus, cujus certè nunquam pœnituit Henricum, qui labes animi per fæminarum etiam conſuetudinem contractas tam religiosè & laboriosè expiauit. Proinde Gregorius VII. pont. max. jam mortuum *laudandæ pietatis imperatorem* appellauit.

ep. 19.

* inuitauit

Anno cIↃ LII. Henricus Leonem in Germaniam * euocauit, vt Ratiſponæ S. VVolfgangi & Erhardi cineres cæleſtibus fulgentes prodigijs coleret, ipſisque Diuis cæleſtes honores decerneret. quod & factum. Leoni pontifici in Italiam reuerſuro, permutatione ciuitatum, redhibuit quod Eccleſiæ debebatur, & magnum inſuper exercitum cum Leone in Italiam contra Nortmannos miſit. Tantus cultor erat Henricus Eccleſiæ, vt nihil Pontifici ſancto petenti negaret. Idem cum in Saxonia præſente pontifice Romano extremè decumberet, & minitantem telo mortem incoram intueretur, *ijsdem temporibus*, inquit Marianus, *multi diuerſarum prouinciarum principes perierunt, fames multas prouincias afflixit, egeſtas & penuria vndique præualuit, multa mala tunc temporis facta ſunt. Henricus imperator his doloribus corde tenus compunctus, infirmari cœpit, & productus vſque ad mortem, ſapienti tamen vſus conſilio ab omnibus quibus potuit veniam petens, quibuſdam prædia quæ abſtulit, reſtituit, cunctis qui contra eum culpas damnabiles fecerunt, relaxans. Filium ſuum Henricum Romani pontificis tunc præſentis cæterorúmque pontificum & principum electione regem conſtituit. His & alijs prout vitæ poſſibilitas admiſit, bene diſpoſitis tertio Non. Octob. vitam præſentem finiuit, ſepultusque eſt Spiræ, Papa præſente.* hæc ipſe.

Marian. Scot. hoc an. 1056.
Baron. an. 1056. n. 1.

Sed antè quàm expiraret luctanti cum fatis, & inſultantibus imperatori auernalibus monſtris D. Laurentius cujus vnicus cultor erat, auxiliatum venit, pulsíſque hoſtibus animum ad cælum deduxit. Corpus Spiram delatum, cum parentibus, cæleſtis tubam prætoris expectat. Imperator ex optimis, maximis, & religioſiſſimis cenſendus, qui vt priores aliquot numerauit ſe præſtantiores, ita ex poſterioribus facilè dixerim nullum habuiſſe, vel parem, vel majorem.

Caſſinenſ. memb. ms. apud Baron.

Digitized by Google

WILHELMVS ABBAS HIRSAVGIENSIS.



Quale decus mundi Guilielmum Boia creauit!
Miraclumq; ingens addidit ingenij
Inuida sed Boiis Guilielmum Hirsaugia traxit
Præfecitq; suis non malesuada Ducem.

Et pro unis septem mox condidit ædibus ædes
Milleq; submisit Cœnobiarcha Patres
Impia contemsit male sani schismata regis
Et fregit non vi, vimq; manusq; Ducum.

B. VVIL-

Digitized by Google

Digitized by Google

B. VVILHELMVS
EX MONACHO RATISPONENSI
HIRSAVGIENSIS ABBAS.

PER beatus hic & religioſiſſimus Præſes Hirſaugienſis, In Boica Pijs & Honeſtis Majoribus vel Ratiſponæ, vel in vicino agro * natus, admodum puer Sancti Emmerammi Patribus, qui S. Benedicti leges hodieque profitentur & ſequuntur, oblatus eſt, apud quos cùm in religioſa diſciplina, tum artibus liberalibus plurimum promouit. Fuit ab ipſo naturæ auctore Deo nobiliſſima indole & ingenio perſpicaciſſimo donatus & exornatus, adeo vt nullum artium bonarum eſſet genus, quod non ſtatim arriperet, penetraret & explanaret; Ille omnia humanæ Sapientiæ arcana perſpiciebat, omnémque Philoſophiam perſpicaciſſima mente complectebatur; Matheſeos partes omnes pertractabat. Artem canendi percalluit. Nihil in arte numerandi, terrarum ſpatijs dimetiendis, Siderum poſitu, alijsque ſcientiarum prope omnium cognitionibus erat, quod non ingenio aſſequeretur. Trithemium audi teſtem: *A pueritia enim*, inquit, *ſua, in monaſterio conſtitutus, omne illud tempus quod ex horis regularibus & cæteris laboribus monaſticis ſupereſſe potuit, aut orationi impendit, aut ſtudio bonarum literarum. Nemo illum in cœnobio vel extra vnquam vidit otioſum: ſemper aliquo ſpirituali, vel certè literali fuit intentione occupatus. In his artibus, quas vocant liberales, eruditiſſimus fuit, vt ſuos etiam longè vinceret Præceptores. Erat enim Philoſophus acutiſſimus, & in diſputationibus adeò ſubtilis, vt à nemine penitus vinceretur. In Muſica, ſingulari doctrina fulgebat: quippe qui in laudibus ſanctorum, cantus plures dulci modulamine compoſuit. Porro in Mathematica & Aſtronomia, in Arithmetica & in arte Calculatoria tam eruditus fuit, vt cùm in omnibus haberetur doctiſſimus, his quaſi ſingulariter ſcientijs operam nauaſſe videretur. Quid autem ediderit, obiter indicabimus. Scripſit enim de Muſica, de Compoſitione Monochordi, de Aſtrolabio & ejus compoſitione quoque horologij, de Correctione Pſalterij & de Ratione Computi Eccleſiaſtici. Ipſe quoque in ſacris Scripturis ſtudioſiſſimus fuit, in quarum lectione dulce contubernium omni quoad vixit tempore, habere conſueuit.*

Anno Christi 1091. 4 Iulij. Ex Heymone vt putatur primo Vita Scriptore Trithemio & P. Carolo Stengelio depicta.

** Annus non eſt conſignatus.*

p. 63. in Chron. Hirſ.

Nec tamen ita ſtudijs literarum ſe affixit, vt rerum diuinarum cultum & Contemplationem negligeret, aut ſalutis curam in poſtremis haberet. *Soli DEO placendi cupidus* (inquit Auctor vitæ VVilhelmi) *carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifigere aggreſſus, jejuniis, vigilijs & aſperitate cilicij macerabat corpus.* Quæ res animi virtutibus conjunctæ VVilhelmum omnibus amabilem & venerabilem fecerunt, famámque illius longè latéque diſtulerunt, magnámque in admirationem & venerationem paſſim non ſolum conſortes religionis, ſed alios etiam pleroſq; mortales adduxerunt.

A.C.1608. Carebat id temporis nobile cœnobium Hirſaugienſe in Hercinio Sueuorum Saltu VVirtenbergenſis prouinciæ ſitum (hodie ignobile, & profanis muſis tranſcriptū) antiſtite, quod ipſi Cœnobitæ in præſulē ſuū, virum optimū & religioſiſsimū peſſimè affecti malis eundē artibus aggreſſi apud Adalbertū Cœnobij Conditorē ſeu potius inſtauratorem de inertia accuſaſſent, & confictis criminibus eo deduxiſſent, vt exauctoratus, officio cedere cogeretur. Erat is alienus à ſtrepitu curarum externarum, & pleraq; negotia quæ ad cenſum & rationes accepti & expenſi pertinebant, miniſtris cœnobij commiſerat, vt ipſe hoc intentius rebus diuinis vacare poſſet. Quam rem ipſi quibus Imperabat Patres, peſſimè interpretabantur & otio atque ignauiæ adſcribebant, quod magnopere in pio Præſule laudare debebant, cui etiam violatæ pudicitiæ & conſuetudinis cum fæminis initæ ſcelus falsò impingebant: cujus tamen innocentia poſt mortem ejuſdem, eodem anno qui fuit à Chriſto nato c I Ↄ L X V I I I. miraculis declarata fuit, vbi etiam Sanctitas viri per illa inclaruit. Remoto ergo Friderico, de alio ſibi in Abbatem adſciſcendo conſilium ineunt. Cúmque vicina & remota cœnobia, viróſque pios & induſtrios in ijs verſantes circumſpicerent, occurrit VVilhelmus Ratiſponæ Boiorum in S. Emmerammi æde religionem profeſſus, cujus varia eruditio, virtus, prudentia, pietas, jam paſſim extra & intra Religioſorum Domicilia celebrabatur. Mittunt ergo ex ſuis, qui Legationis munere fungerentur, & Ratiſponam ingreſſi ad S. Emmeramum diuertunt, Legationem exponunt, VVilhelmum in præſidem Hirſaugienſem depoſcunt. Quâ re VVilhelmus cognitâ, cum accuratè apud animum ſuum perpenderet, quanti negotium momenti eſſet, non prius conſenſit, quàm per ſe & alios multis votis & precibus ſupremi Numinis & nutum & voluntatem exploraret. Vbi pluribus viſum, id officium & munus ad

Trithemius in XI. Præſule Hirſaug. 1065.

magnum

Digitized by Google

magnum D.O.M. honorem fructúmque & ſalutem multorum pertinere, bona ſuorum venia, quamuis ipſius præſentia & conſuetudine ægrè carerent Emmerammiani, cum Legatis Hirſaugiam profectus eſt. Nunquam, reor, VVilhelmus in animum induxiſſet, vt onus hoc regendę Hirſaugiæ in ſe ſuſciperet niſi pridie, quàm Patres Hirſaugiâ Reginoburgum venirent, per nocturnum viſum ad hoc ipſum munus ſubeundũ, fuiſſet incitat⁹. Adſtiterat illi per noctẽ vir humanâ formâ auguſtior, juſta & florente ætate, ſerena frõte & læto vultu, qui manu de generoſa vite nobiliſſimas vuarum baccas ferebat. Obſtupeſcenti & hærenti, quid id ſibi ſpectaculi vellet: Accipe, inquit, Chriſt⁹ (nam is erat) VVilhelme, mihi perdilecte haſce vitis gem̃as. Neſciebat VVilhelmus quorsũ & donũ & munerator ſpectaret. Tũ is qui apparuerat, Statui, inquit, Religioſas ſcholas inſtituere, quibus te velo præeſſe. & cum dicto diſparuit. Hîc ſe VVilhelmo in omnes partes verſante & mane euigilante, mirantéq; adſunt eadem die Legati Hirſaugienſes, qui ipſum in cœnobiarchã Hirſaugienſẽ expetierunt. Quod viſũ ipſum permouit, vt Hirſaugienſibus conſentiret & ſatisfaceret. Quæ res tam feliciter & ipſi & cœnobio, & plurimis alijs vertit Quæ omnia ipſemet ſub mortem VVormatienſi Pontifici expoſuit.

Sed cùm cœnobium Adelberto Comiti (qui ſibi Patroni & Aduocati nomen ſumebat, reipſa direptor & vexator erat) obnoxium cognouiſſet, ſtatúmq; loci afflictum, & prope perditum perſpexiſſet, noluit alia lege ſacrum cœnobij magiſtratum ſuſcipere priùs quam Adelbertus Monaſterium ſuæ libertati redderet, ſeſéque per publicum chirographum Cæſari mox porrigendum, omni jure, quod in Monaſterij agros, vicos, ſiluas, lacus, pecus, tanquã juſtus & abſolutus Dominus vnà cum ſuis Majoribus injuſtè vſurpabat, abdicaret. Hîc Adelbertus comperta VVilhelmi conſtantia & virtute, ad nutum ejus omnia ſe facturum, ſimulato tamen animo pollicitus eſt. Ita vterq; ſe ad Henrici Cæſaris palatium contulit: curiámq; ingreſſi Adelbertus & VVilhelmus, chirographum non optimâ fide conſcriptum, quod tum VVilhelmus ſua bonitate aliorum metiens improbitatem, & nihil fraudis ſubeſſe ratus non aduertit, Cæſari obtulerunt, Cæſarisq; auctoritate ſignatum retulerunt, fraude intra quinquennium à VVilhelmo nõ animaduerſa, quam illi illuſtris & religioſa piáq; matrona VViltrudis Adelberti conjux clàm aperuit. Cùm interim Monaſterium non ſecus ac prius vexaret, & jus ſuũ, quod prætendebat, in cœnobium exerceret. VVilhelmus ergo ratus omnia eſſe ſalua

in Præſulem ſeu Abbatē Hirſaugienſē ritu Eccleſiaſtico ab Hērico Nemetum ſeu Spirenſium Pontifice anno ſequenti, milleſimo inquam, ſupra nonum & ſexageſimum IV. Non. Iunij, in frequentiſſimo omnium conuentu, concurſu, gratulatione, quod felix fauſtúmque fuit, conſecratus eſt. A Conſecratione ſtatim VVilhelmus ſe contulit ad ſanciendam religioſarum Legum diſciplinam, quam pijs adhortationibus, ſeuera morum & delictorum caſtigatione, ſed potiſſimum exemplo, quod plurimum in omnem valet partem, & ſanctitate vitæ inſtaurauit.

Quando ad Cœnobium Hirſaugienſe venit, exiguum reperit numerum Contubernalium religioſorum, nec is decimū quintum exceſſit, nec cenſus ad plures alendos ſufficiebat. Patrum tamen raritatē ita mox auxit, vt quinquaginta ſupra centū eóq; amplius cenſerentur, nec ijs quicquā rerū ad victū cultúmq; neceſſarium deeſſet, quod VVilhelmi pietas virtus, & morum ſanctitas multorum mortalium liberalitatem ad aurum & prædia, aliáque dona vltro offerenda inuitaret. Vnde ipſe non ſolum ſuum Monaſterium aluit, ſed alia quoq; ſeptem varijs in locis & prouincijs condidit (quæ vitæ Scriptor Trithemius ordine enumerat) aliáq; collapſa reſtituit, & omnibus è ſuorum numero ſubmiſit Patres, qui illis præeſſent. Fuere autem illa ſeptem non obſcura, Primum appellauit Cellam S. Gregorij haud procul Hirſaugia: Alterum etiam in Hercinia ſeu Nigra Silua, S. Georgij; Tertium in Boica S. Martini: Quartum Erphordiæ in Thuringia: Quintum ad duplicem Aquam in Honore S. Mariæ: Sextum in Villa VVilhéim, quod poſtea mutatum eſt in Montem S. Petri: Septimum in Prouincia Carentinorum. Alia tria jam pænè euerſa reſtaurauit, Schafhuſianum, Petri-Domum ſiue Petershuſianum, & Campergenſe de quibus fuſius in Notis Stengelius.

Nec interim tamen errantem mendicabulorum turbam neglexit, quibus cum aliud in promptu non eſſet, ſuas ipſe veſtes impertiebatur, ita vt intimam ſibi tunicam detraheret, qua nudos tegeret & veſtiret. Fuit aliquando cum Domeſticos prope res & ſpes rerum ad victum etiam neceſſariarum defeciſſet. Adeunt Oeconomi & Procuratores VVilhelmum & quinque argenti libras ad neceſſarium Cœnobij vſum petunt. Solatur pius Pater domeſticos ſuos amiciſſimis verbis, & hortatur ne de miſericordia diuina & munificentia deſperent, non defuturum vnquam ſuis Deum. Sed illi nullis placari verbis poterant, cum nihil appareret, vnde inopiam ſubleuarent, & pecuniam etiam importu-

nius

Digitized by Google

nius exigerent. Nullus erat id temporis VVilhelmo teruncius in zona nec gazophylacio; Surgit ergo Pius Pater è Cætu fratrum, Dominum pro ſuorum neceſſitatibus deprecaturus, cùm egredienti ignotus occurſat, libras argenti poſtulatas in manus tradit, abit, euaneſcit. Ita ſubitò Deus inopiæ Cœnobij præter omnium expectationem ſuccurrit,& preces etiam VVilhelmi anteuertit. tanta ipſi cura eſt ſuorum, quando Deo ex animo placere ſtudent.

Inter hæc admonente VViltrude, vti dixi, cognoſcit VVilhelmus mendū & fraudē teſtamenti & chirographi ſibi ab Adelberto Comite (quamuis ſigno Cæſaris munitū eſſet) traditi ſuper libertate cœnobij, ex omni jure mancipij eximendi. quæ res in maximas curas & anguſtias VVilhelmum conjecit, cùm viam & modum tanto malo medendi nullum reperiret, Adelbertus enim de integro magis atque vnquam antea premebat & opprimebat monaſterium VVilhelmi. Itaque præciſis omnibus humanis conſilijs & auxilijs, ad aras Numinis confugit, Deum precibus & lacrimis ita fatigauit, vt pæne cogeretur VVilhelmo ſuccurrere, qui propter ipſum prouinciam illam regendi Monaſterij ſuſceperat. quam deſerere cum propter conſcientiam, tum ipſum dedecus & ſecuturam infamiam non poterat. Adhibuit ergo huic malo nouum remedium. Nam, ex illo fluere ac retro ſublapſa referri ſpes Comitis: Adelbertū enim in varios & acerbos fortunarum omnium caſus conjecit Deus, ita vt domi à liberis; foris ab externis ita affligeretur, vt malorum ſuorum nullum finem & exitum reperiret, atq; in extremam rerum omnium deſperationem conjectus jam de vita per vim abrumpendâ, triſtiſſima animo conſilia verſaret. Quod vbi pia conjunx, illuſtris Domina VViltrudis animaduertit, viro ſuggerit, in tanta rerū deſperatione ad piorum ac ſapientum virorum conſilia confugiendum, quodque illi ſuaderent ſine mora exequendum. Lubens volens vxori paruit afflictiſſimus maritus. Religioſos & prudentes viros conſulit; ſuadent illi conſenſu omnes, ſi cupiat tantis malis medicinam adhibere, bona fide cœnobium Hirſaugienſe, quod velut ſeruitute ſeruili oppreſſerat, ſuæ libertati totum reſtituat, ademptáque omnia quamprimum redhibeat: Aliam viam nullam ſupereſſe, qua infortunium tantum, quo tantum non mactatus erat, euaderet, ac ſtatui ſuo priori ſuæque dignitati fortunæ & felicitati reſtitueretur. Paruit Adelbertus ſtatim & ſana veráque ſuadentibus obſecutus, Formulam teſtamenti pro voluntate ipſius VVilhelmi

Digitized by Google

emendari curauit. *Mala nempe quæ nos premunt, ad DEVM ire compellunt*; inquit Sanctus & illuſtris Eccleſiæ Doctor & Pontifex Gregorius. Retulit Chirographum ad Cæſarem VVilhelmus Adelberto ipſo comitatus, & Imperatori in manus ipſe teſtamentum emendatum porrexit, qui illud ſigno ſuo Cæſareo comprobatum VVilhelmo reddidit, cujus verba apud Trithemium in hiſtoria Hirſaugienſi cū hac inſcriptione extant: *Pagina teſtamentaria Libertatis*, Tu ſi vacat, leges quæ ſequuntur, nobis, quia cōpluſcula ſunt, omiſſa. Hinc ſpes melior Adelbertum occupauit, pax & concordia cum domeſticis & externis redintegrata, & fluere omnia pro votis cœperunt. VVilhelmus verò, vt illæ tabulæ Adelberti æternam auctoritatem & vim obtinerent, etiam ipſo Comite ſuaſore & auctore, & ſubſidia viatica offerente, ad ſummum Pontificem, qui fuit ea tempeſtate Gregorius VII. vir ſanctus & eruditus profectus eſt, & Pontifex literas teſtamenti à Cæſare ſignatas etiam auctoritate ſua Apoſtolica confirmare voluit, & Priuilegiū, vt appellatur, VVilhelmo in ſcripto, quod etiam apud Trithemium extat, impertiuit. Sed dum VVilhelmus Romæ verſatur, in grauem corporis ægritudinē incidit, adeo vt intumeſcente, & velut hydrope diſtento ventre, nuſquam ſe cōmouere poſſet. Iam omnes Hippocratis alumni & diſciplinę Medicę experientiſſimi de vita VVilhelmi conclamarant, nullū ſupereſſe illius curandi remedium. Atqui deſperantibus omnibus, ſolus ipſe ſpē de ſanitate recuperanda recepit, dummodo ad D. Virginis deferretur. Delatus eſt; Vbi inflatū corpus aris B.V. admouit, illico cœpit meliuſculè habere, & paulo poſt Magnæ Dei Matris ope penitus cōualuit, quem Pontifex non paucis ad nouum S. Aurelij templum dotandum, ſacrarum Reliquiarum Theſauris auxit, ſaluúmque & incolumem gratulantibus cunctis domum remiſit.

VVilhelmus ergo bonis Cœnobij ab importunis Dominis extortis & æternùm ſtabilitis, animum ad diuinum cultum augendum & diſciplinam religioſam, ſicubi opus. emendandam conuertit, quam quidem exemplo ſuo potiſſimum confirmabat, quando omnem à ſe luxum veſtium, delicatiores menſæ delicias, honorum ambitionem penitus remouit, & totum ſe cùm domeſticorum tum externorum vſibus impendit. Vnde factum eſt vti virtutis odor illius latius diffuſus multos ad religionis ingrediendæ ſtudium alliceret, multique nobiles & potentes paupertatem diuitijs anteponerent, & omnes ſuas opes vna ſecum ad cœnobium

nobium

Digitized by Google

nobium deferrent, vitámque religioſam complecterentur. Vnde auctis Monaſterij bonis, numerus etiam Patrum fratrúmque vehementer augebatur, vt vltra centum & quinquaginta recenſerentur. Iam verò etiam ſtipis in pauperes erogandæ minimè oblitus, pro opum facultatibus, omnibus quoad fieri poterat, ſuccurrit. Vſu venit, vt vere ineunte & amœna cœli ſerenitate ad prata Patres inuitante, cum illis VVilhelmus ipſe panibus & cibis in prandium, quamuis frugale & modicum, vnà ſubuectis prodiret. Sed antequam ad deſtinatum locum peruentum eſt, occurrit præſidi, ex vltima ſorte integra familia, quæ lare & farre carebat, enixéque à VVilhelmo ſportulam petiuit. Hîc ille ſimul omnes maritum & vxorem cum vndecim liberis miſerrima mendicabula ad prandium in campo quamuis tenuiſſimè ſibi & ſuis apparatum inuitauit, ad quod etiam præter ſpem, dum conſidérent, non modica equitum Popularium & complurium pauperum turba accurrit, quos omnes ipſe ad menſam adhibuit, vehementer Comitibus VVilhelmi perturbatis, quòd annonam tam modicam ſecum attulerant, vt vix ſolis Patribus ſuffectura videretur. Quos cum jam rubore ſuffuſos cerneret, menſæ mox defecturæ metuentes, ipſe læto hilarique vultu; Quid ait, modicæ fidei turbati eſtis, Quinque Panes, quibus Dominus quina millia pauit & ſatiauit, quamdiu integri manſerunt, nec aucti nec multiplicati ſunt, nec vllus ex illis paſtus eſt: quando verò à Domino fracti ſunt, vtique tunc ſub manibus creuerunt, & plurimi inde paſti. Itaque & panes & cibos in menſam allatos in omnes præſentes diſtribuit. Nec quicquam ex omnibus defecit, quoad omnes domeſtici & externi conuiuatores exſatiati cum admiratione noui prodigij receſſerunt. Digreſſis ergo reliquis paupertinam illam familiam, qui tredecim erant, retinuit ſecum, & hoſpitio exceptos tamdiu aluit, quoad noua meſſis illis prouideret.

Alio tempore cùm VVilhelmus per Nangalati fluminis pontem tranſiret, claudum quendam grallatorem obuiam habuit, qui geminis furcis corpus librabat, & diu in Noſocomio decubuerat. Huic pius Pater alteram furcarum ſubtraxit, & aliquot pedum interuallo ab illo diſtans claudum, vt ad ſe accederet hortatus eſt, negante miſero, ſe abſque vtroque fulcimento corpus poſſe promouere. Conare, inquit, VVilhelmus, ego hinc non recedam, donec ad me peruenias. Conatus æger omni corporis niſu, ad patrem adrepſit, à quo mox abjectis furcis ſanus & integer in vtrumque pedem erectus diſceſſit.

Digitized by Google

Multo minus ſilentio, quod ſequitur prætereundum. E conſilio Argentinenſium Canonicorum vir nobiliſſimus Gebhardus, qui VVilhelmo poſtea defuncto ſucceſſit, abjectis omnibus copijs & opibus quibus circumfluebat, curiſque profanis exutus, ex vno VVilhelmi colloquio immutatus eſt, vti præter omnium ſpem & expectationem, à VVilhelmo peteret in ipſius religioſam familiam recipi. In tirocinium receptus, mox à Deo propter vitæ præteritę noxas paternè correctus, adeo graui morbo tentatus eſt, vt ſolutis & paralyſi membris omnibus luxatis, nihil præter linguam mouere poſſet. ſed velut exanimatus truncus in lecto à ſubminiſtris volueretur. Ita annus integer tractus eſt, cum nec manum quidem ori admouere poſſet: ſed cùm miſerante Deo jam ſatis expiatus per morbum eſſet, cœpit paulatim reualeſcere, in lectulo reſidere, legere, etiam pedibus ſenſim proreptare; ſolæ manus languere & jacere, nec officio ſuo fungi. Ad quē VVilhelmus viſendi gratia ingreſſus, Gebhardum hortatus eſt, vt à Deo vſum dextræ peteret. Abnuit Gebhardus (adeo jam ex morbo in ſpiritu profecerat) obteſtatus ſe corporis inualetudinem vel etiam valetudinem parui pendere, dummodo Deo reconciliaretur. Miſeratus pius Pater ſortem illius, manum ægri complectitur, exoſculatur, bene precatur, & in proximum B. V. ſacellum ſe confert, vbi proſtratus aliquandiu pro Gebhardo preces fundit, & reuerſus ad eundem, etiam dextram ſanam curatámque gaudet & ægro gratulatur. Poſt paucos inde dies fratria illius, ſeu fratris vxor ad cœnobium venit, vt affinem inuiſeret: geſtatus ille ſellâ ad eam deſcendit, & cum inter familiare vtriuſque colloquium mentio dextræ à VVilhelmo curatæ incidiſſet, mulier admirata prodigium, etiam eidem dextræ admouit os & pietatis cauſa exoſculata eſt. Et vide noxium fœminæ, etiam per ſpeciem pietatis, contactum, illico dextra rurſus obriguit, quod tamen Gebhardus tum diſſimulauit, & dolorem patientia oppreſſit, atque ab illa mœſtus diſceſſit, quod minimè latuit VVilhelmū, qui è veſtigio Gebhardum in Cubiculum ſecutus, quærbat quid ita triſtis eſſet? reſpondit ille, quod id ſua culpa accidiſſet, dum ſuam dextram à fœmina contingi pateretur. Miſertus illius VVilhelmus apprehenſam ſaniore contactu dextrā ſuo officio reſtituit. Hæc omnia copioſius auctor vitæ VVilhelmi; ſed accipe ex Trithemio, quid hominis hic Gebhardus fuerit, priuſquā ad aſilū Religionis confugeret: *Reuerendiſſimo,* inquit, *atque ſanctiſſimo abbate VVilhelmo viam vniuerſæ carnis feliciter ingreſſo, poſteaquā abbatia hujus Monaſterij vacaſſet diebus*

pag. 87.

bus 27. ad Electionem noui paſtoris fratres conuenerunt in vnum, ipſa die quæ dicitur ad vincula Petri, quando (ſicut prædiximus) capilli ejuſdem Apoſtoli in præſentia multorum Abbatum, Monachorum atque fidelium ad monaſterium fuerunt introducti, factáque inter ſe collatione neceſſaria ipſum Gebhardum priorem ſuum in Abbatem vnanimiter elegerunt, virum ad regimen animarum ſatis idoneum, natione Sueuum, literis & eloquentia ſingulariter imbutum, qui electus, vt perfertur, prima die menſis Auguſti, anno Domini 1091. indict. 14. ſub Imperatore Henrico IV. & Vrbano Papa II. præfuit monaſterio annis 14. & menſibus 3. quibus euolutis, in epiſcopum Spirenſis Eccleſiæ (quemadmodum ſuo loco dicemus) electus eſt. Fuit autem (ſicut diximus) ex Sueuia oriundus, nobili proſapia genitus, ſtatura corporis nec breuis nimium nec longa proceritate deformis, ſed debita mediocritate proportionatus, nigro capillo in circuitu capitis ornatus corpore craſſus, & pulchra moderatione diſpoſitus. Cum adhuc puer eſſet, magiſtris ad diſcendum literas à parentibus traditus fuit, in quibus cum tempore vſque adeo profecit, vt in omni literatura tam ſeculari quàm diuina ſimilem vix haberet. Erat enim vir vndecunque doctiſſimus & ſingulari eloquentia, tam in Romana quam in lingua Teutonica præditus. Annis tandem puerilibus cum ſtudio literarum emenſis in Eccleſia Argentinenſi Canonicus factus eſt, vbi cum diuitijs & honoribus auctus quotidie intumeſceret, nihil minus quàm conuerſionem cogitabat, Raró enim diuitibus, maximè Clericis, ſolet adeſſe compunctio, quia quanto plus intendunt ſecularibus curis, tanto minus de ſua ſunt ſalute ſolliciti. Ita & Gebhardus iſte Canonicus de quo loquimur, cum nobilitate generis & affluentia diuitiarum inaniter ſupra ſe eleuaretur in altum, pauperibus Chriſti, & Monachis maximè non ſolum nihil boni exhibuit, ſed etiam ſpernens & contemnens, multas injurias eis inferre conſueuit. Vinum namque quod ex donatione fidelium fratribus Hirſaugienſis cœnobij in Alſatia creuit, per violentiam rapuit, & inuitis omnibus, in proprios vſus conuertit. Quod eo faciliùs facere potuit, quo ſanctum virum VVilhelmum cum Romana Eccleſia ſentientem, nullum ab Henrico rege defenſionis auxilium ſperaturum ſciuit. Admonitus tamen per viros bonos ſuper hoc temerario facto, cum abbate VVilhelmo compoſiturus venit ad Hirſaugiam tumidus, ſuperbus, & elatus, nihil minus habitu & geſtibus quam religionis amorem demonſtrans. Sed Deus omnipotens, in cujus poteſtate ſunt omnium corda hominum, qui Saulum perſecutorem fidei Chriſtianæ Paulum defenſorem effecit, etiam hujus viri mentem in aliud propoſitum ſubito commutauit. Sagaci namque conſideratione fratrum mores & conuerſationes explorare cœpit, diſputantemque de contemptu mundi ſanctum Patrem audiuit, & captus in ejus ſermone, ſancto intus agente ſpiritu, propoſitum ſubitò mutauit, & valedicens pompis & curis ſeculi, factus eſt in hoc cœnobio ſub monaſtico habitu famulus Dei. Qui cum ſanus & incolumis aliquandiu inter

fratres

ſratres laudabiliter conuerſatus fuiſſet, vt patientia ejus coram omnibus probaretur, grauiſſimum languorem incidit, ita vt membris omnibus penè reſolutis manum ad os non valeret porrigere, nec de vno latere in aliud ſine aliorum adminiculo ſe mouere. Hac infirmitate plus integro anno miſerabiliter, ſed cum multa patientia ægrotauit, quouſque miſericors Deus vires ei reſtituit manducandi, ſedendi, legendi, & in ſcamniolis ſuper terram inſtar puerorum reptandi. Præter enim linguam hactenus nullum membrorum ſuorum mouere potuit. Quadam verò die vir Domini VVilhelmus cellam ægrotantis ingreditur, & vt vſum vel dextræ manus à Domino precibus deuotis peteret, Gebhardum jacentem exhortatur. Renuit ille cum ſumma deteſtatione, confirmans ſe corporis ſalutem omnino & paruipendere, vt bene decocta ſcoria purgatus poſſet ad Deum peruenire. Pius autem pater miſericordia motus dexteram illius apprehendens benedixit, orat, deoſculatúrque eum & priſtinæ ſanitati cernentibus cunctis ſubito reſtituit. Poſt paucos verò dies vxor fratris ipſius Gebhardi, ad eum gratia viſitationis cum familia multa aduenit, ad quam in ſella portatus geſtatoria, cùm inter loquendum brachij ſui miraculoſam ſanitatem proferret in medium, apprehendens illa dexteram ipſam ſanatam, muliebri eam quaſi ſanctificatum quippiam deoſculatur affectu. Et ecce brachium ipſum miraculosè ſanatum, mox ad tactum fœminæ, quamuis deuotæ, miraculoſius ad priſtinam rigiditatem reuertitur. At ille diſſimulato quod acciderat, Germani ſalutata vxore, ad cellam ſuam reportari ſe fecit. VVilhelmus autem ſanctiſſimus pater, diſcens in ſpiritu ſancto quod accidit, mox ad cellam ægrotantis venit dicens: Hæc eſt pœna temeritatis tuæ, frater, qui manum Deo conſecratam ipſiúsque miſeratione ſanatam, fœminæ, gloriâ tactus inani præbuiſti oſculandam: Admonitus deinceps, ne ſimile feceris, eſto. iterúmque apprehendens ipſum brachium ſancta ſua benedictione ſanauit, quem totum non multo poſt orationibus ſuis ad priſtini ſtatus valetudinem reduxit. Veruntamen ex eadem infirmitate quoad vixit, ſemper vno pede claudicauit, quatenus memor eorum quæ ſuſtinuerat, amplius non peccaret. Nam cum eſſet vir tam generis nobilitate clarus, quàm acrimonia ingenij ſublimis, animique conſtantia, ſapientia, ſcientia & eloquentia ſingulari, prærogatiua inſignis & magna quoque in ſeculo reputationis, pia Domini caſtigatione flagellatus eſt, ne forte omnibus ſuccedentibus proſperè, mens in elationis Orcum laberetur. Succeſſit is poſtea B. VVilhelmo ad Superos translato, & Monaſterio cum ſumma Abbatis poteſtate præfuit annos quatuordecim, menſes quatuor, ad Epiſcopatũ Spirenſem, poſtea translatus, vbi miſer & auctoritatẽ nominis & opinionẽ virtutis, Eloquentiæ, gratiæ amiſit, omnibúſque ludibrio fuit. Nempe qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. poſt annum ſub

Inſula

Digitized by Google

Inſula Pontificali extinctus eſt. Quæ omnia fusè Trithemius exponit. Nos ad VVilhelmum reuertamur.

Septimo VVilhelmi anno Hirſaugienſis Præfecturæ, Chriſti 1076. cum * Borbetomagi apud Vangiones Henricus Quartus Cæſar jam à Gregorio VII. anathemate fulminatus à piorum cœtu eſſet excluſus, conuentum Principum, & 24. Epiſcoporum indixiſſet, plerisque Cæſari obſequentibus & Pontificem ipſum, virum ſanctum & innocentem damnantibus & exauctorantibus, VVilhelmus, quamuis Henrici regis literis euocatus, nec comparuit, nec damnationi Pontificis, quem ſciebat contra jus fas omne proſcriptum, ſubſcripſit. Immo, quoſcunque potuit, ab execrabili illo Conuenticulo retraxit, hortatus omnes quos potuit, vt nunquam ſe ab Eccleſiæ Romanæ gremio paterentur auelli. Coegerat poſtmodum ſub annum Chriſti CIↃ LXXXV. VVetzilo Pontifex Moguntinus ab Schiſmaticis creatus, juſſu Henrici conciliabulum Epiſcoporum, ſimulque Haſunganos (quod eſt in Thuringia cœnobium) Patres trahere ſecum in ſchiſma modis omnibus conabatur, nam cùm blandis verbis nihil proficeret, atroces etiam minas, niſi parerent, adjecit. Sed illi vim Schiſmatici Præſulis eludentes omnes, relicto ſuo domicilio, Hirſaugiam ad VVilhelmum confugerunt, quos VVilhelmus, quamuis amplius ſeptuaginta eſſent, amantiſſimè omnes excepit, & humaniſſimè, quamuis annona carior eſſet illo anno, tractauit: Quia, inquit, Dominus numerum ſeruorum ſuorum auxit, debemus etiam nos augere annonam illorum; plus enim panis quàm aliàs conſueuerat, omnibus in menſam appoſuit. Sic aliquandiu retentos, & omnibus humanitatis officijs complexos ad cellam S. Gregorij, quod ipſe monaſterium non procul Hirſaugia poſuerat, dimiſit, vbi illis omnia ad victum neceſſaria ſubminiſtrauit, ac tamdiu aluit, quamdiu ipſis illic reſidere placuit.

* *Wormatia*

Neſcio ſanè quid in hoc diuino Patre primum admirer, quid deinde, quid poſtea, quid poſtremo: Omniũ religioſarum virtutum compendiũ fuiſſe videtur. Si fidem Catholicam & conſtantiam erga ſedem Apoſtolicam ſpectem, deficientibus ab illa Cæſaribus, Archiepiſcopis, Præſulibus ac tota propè Germania, hic quamuis ſolicitatus, tanquam Marpeſia cautes conſtitit immobilis, nec latum vnguem à Pontifice Romano diſceſſit. Si fidem & ſpem erga Deum, & omnes Sanctos ejus, quorum reliquias ſummo cultu affecit, in rerum omnium deſperatione non deſperauit ipſe, ſiue defeciſſet res familiaris, ſiue medici de ægris conclamaſ-

ſent

ſent ſiue aliunde malum aliquod ingrueret. Charitas autem erga mortales omnes ſiue in ſpiritu juuandos, ſiue in ſtipe eroganda, ſiue ægris viſendis, curandisque tanta fuit, vt ardere videretur charitate erga miſeros mortales. Duriſſimus interim in ſeipſum, vt nihil cibi, qui guſtum & palatum inuitaret, admitteret. Si quid delicatius apponeretur, vel domeſticis ſibi aſſidentibus transmiſit, vel ad ægros deferri juſſit. In cultu corporis, quamuis inclitus eſſet præſul, & opibus etiam Epiſcopis par aut amplior, omnem faſtum omni ratione declinauit, adhortatus etiam alios Antiſtites, ſi quos videret *dilatatis ſimbrijs* incedere, ne aliorum oculos faſtu ſuo offenderent. Auctor idem fuit poſteris, vt in ſuam familiam fratres, quos barbatos appellabant, admitterent, quos ipſe primus adſciuit. Horum erat munus, vt apud nos hodie, Adjutorum, vel Conuerſorum, vt Monachi appellant, illiteratorum, cum exteris de acceptis & expenſis agere, neceſſaria culinæ, menſæ, ægris prouidere, & ſubminiſtrare veſtem Patribus qui choro deſeruiebant, procurare ne religioſi ſacris affixi, rebus & negotijs externis diſtracti à diuinis præpedirentur. Et quia ipſe totus à Dei prouidentia & cura pendebat, Deus etiam ſummam ipſius & domeſticorum ejus curam habuit, ne quid ab improbis paterentur. Quod manifeſtis prodigijs & miraculis non ſemel declaratum eſt. Ego vnum & alterum exempli cauſa apponam.

Cum VVilhelmus cum ſuis damnaſſet Henrici Cæſaris ſchiſma, nulláque ratione poſſet adduci, vt in illud conſentiret, à Cæſare proſcriptus eſt, immiſſúsq; Argentinenſis Pontifex cum armatis in ejus Cœnobium, vt illud funditus euerteret, qui cum loricatus (egregius verò non tam Epiſcopus, quam latro) equum conſcendiſſet, & cum armatis Hirſaugiam tenderet, quamuis diſſuadentibus ipſis militibus, & à tali facinore abhorrentibus & dehortantibus, ipſe tamen audaciſſimè & impudentiſſimè perrexit. Sed vigilauit Numinis vindicta & equitantem occupauit, ſtrauit, & vita ſacrilegum antiſtitem exuit, ita vt VVernherus (hoc illi nomen erat) priuſquam loricam exueret, vita fuerit exutus & *viuens*, vt auctor ait, *deſcenderit in infernum.* Qui tremendus ſchiſmatici Præſulis exitus, omnes alios deterruit, ne quid contra illud ſanctum cœnobium tentarent aut molirentur. Trithemius eandem
Pag. 91. VVernheri inſaniam paulo clarius his verbis deſcribit: *Ad hoc facinus perpetrandum VVernerus epiſcopus conſtitutus per ſimoniam ad Eccleſiam Argentinenſem, homo peruerſus, & S. Romanæ Eccleſiæ atrociſſimus inimicus, tanquam obſequium præſtiturus Imperatori, milites cohortatur ſuos,*

promittit

promittit prædam ingentem de ſpolijs monachorum. Cúmque milites deteſtari nefas tam immane in famulos Dei cœpiſſent, inſanus pontifex dixit: Ego vos, ô milites fortiſſimi, in hoc obſequium regis noſtri juſtiſſimi præcedam, & quicunque veſtrum me ſecutus non fuerit, reus læſæ majeſtatis erit. His dictis loricam induit, qua indutus, equum plenus minarum in Monachos Hirſaugienſes, aſcendit, ſubitóq; clamans & vlulans, horribiliter cecidit, & morte ſubitanea præoccupatus cunctis videntibus expirauit. Cæteri verò tam miſerabilem Pontificis intuentes exitum, valde timuerunt, nullúsque eorum deinceps auſus eſt contra monaſterium Hirſaugienſe ſiniſtrum aliquid pertentare.

VVintherus quidam Almindingenſis, (vt aliud ſubnectam non valde priori diſſimile, quod tamen feliciorem finem ſortitum eſt) ſe totum Deo per VVilhelmum conſecrarat, prædiúmq; quod jure poſſidebat Hirſaugienſi Cœnobio proprium tranſcripſit. hoc à morte VVilhelmi & VVintheri Iuuenis quidam VVintheri cognatus inuaſit, ſibiq; velut hæres proprium vſurpauit. Sed cum inde poſt vindemiã aliquot vini cados aliáſq; terræ opes per jumẽta domum ſuã aueheret, in ipſa via bos jugalis crus confregit, vt non poſſet progredi, ipſe verò prædo ex equo effuſus, quaſi lethargo ſimul & amentia correptus elinguatúſq;, & mutus præceps in terrã corruit. Vbi poſt aliquot dies, Deo miſerante & mentẽ & linguã recepit, cum ſecũ arbitraretur, quæ tanti & tam ſubiti mali cauſa extitiſſet, facilè conjecit, comiſſum quaſi ſacrilegiũ, quod viris religioſis prædium, contra jus fas, ademiſſet. Itaq; ſtatim ſe ad cœnobium deferri curauit, ibíq; Patribus, quod eripuerat, prædium reſtituit, & ſeipsũ inſuper pro expiatione & holocauſto obtulit, Deóq; initiatus & in familiã adſcriptus vitã beato fine concluſit.

Nullum narrandi finem reperiã, ſi velim omnia ſtilo perſequi, quæ VVilhelmus geſſit. Cum Hirſaugienſis Domus pro numero Patrum fratrúmq; nimis jã anguſta eſſet, & tantum numerum capere non poſſet, (excreuerat enim ad centum ſupra nonaginta, ſi Cõuerſos quos vocabant, ex illiteratis aſſumtos adnumeres, quorum erãt quadraginta) Nec loci anguſtię, illo quo ſtabat loco, proferri limites ſinerent, cõſilio cũ ſenioribus Patrũ comunicato, trãs flumẽ in editiore loco nouũ & amplũ conſtruere cœnobiũ cœpit. Erat n. inibi magna ſaxi & ſiluæ copia. Architectos, fabros, materiarios & ferrarios latomóſq; è ſua Patrũ fratrúmq; gẽte ſat multos habebat, vt externis operis non eſſet vſus. Ad opus ædificandũ & ornandum multi proceres prædiuites & potentes largã ſtipẽ contulerunt. Quo tempore fuit Hermañus quidã regulus copioſus ex Marchione Monachus Cluniacenſis, cujus vxor pia & religioſa

matrona,poſt mariti diſceſsũ magnã auri vim VVilhelmo obtulit,vt inchoatum opus feliciter abſolueret: quod anno CIↃ LXXX. cæptum intra nouennium eſt abſolutum & Cal. Maij SS. Apoſt. Petro & Paulo atq; S. Aurelio homologetæ,decimo poſt inchoatam operis molitionẽ cõſecratum. Antequã templum initiaretur ædem totã coactis vndiq; rogatoribus, quorum vbiq; magnus eſt in promtu numerus,repleuit,& clauſis vbiq;templi valuis,ipſe ſua manu cibos eſurientib. ad ſatietatẽ vſq; ſubminiſtrauit. Vſq; adeo donec vitã etiam finiret,benefaciendi pauperib.nullum finẽ fecit.

Iam ad vltimam B. VVilhelmi vitæ clauſulam accedamus. Poſt bimeſtre ſeptiduóq; amplius,ferijs jã ſanctiſſimis Principum Apoſtolorũ Petri & Pauli im̃inentib fatali morbo occupatus, nocturnis & diurnis tamen precibus à Patribus decantatis adhuc interfuit,ac poſtridie ad ſum̃am arã,priuatim tamẽ fecit. Nocte inde proxima cũ æger decũberet,SS. Apoſt.quorũ cultui & venerationi addictiſſimus erat,per cæleſte viſum jacentẽ conſolati, opem illi ſuam præſentes polliciti ſunt. Poſtera luce memoriæ S. Pauli conſecrata, Patribus illum vtrinq; ſuccollantibus,rurſus ad arã eorundem Apoſtolorum vltimum Deo ſacrificium obtulit. Quarto à cœpto morbo die conuentum Patrum fratrúmq, ingreſſus, quicquid ante valens viuénsq; adhortatus ſuos fuerat, compendio repetijt, & illis domeſticã diſciplinã,in rebus diuinis ardorẽ, fraternam concordiã & amorẽ, hoſpitalitatem exquiſitis verbis commendauit. Delatus inde in valetudinarium,flentibus & lamẽtantibus domeſticis,cum ſingulos amantiſſimè eſſet complexus & *4. Iulij.* exoſculatus,IV. Nonas Quintiles terras cælo com̃utauit, ad cujus funebria conuenere Epiſcopi duo, Cœnobiarchæ quinq;, præter maximum numerum ſacrorũ & politicorum vtriuſq; ſexus. Durauit exequiarũ celebritas ad quintũ vſq; diẽ.Funus in medio tẽpli Apoſtolorũ, quod paulo ante dedicatum erat, collocatũ & mauſoleo,quod hodieq; inuiolatũ tradunt,illatũ. Fuit hic Beatiſſimus præſul VVilhelmus S.Herlucæ,de qua Vol. 1.Bau. Sanctæ, meminimus,inſtitutor,ſub cujus diſciplina tantũ profecit, vt conditorium illius etiã,hodie ab aduenis colatur. Tanti eſt in piũ & ſanctũ incidere Magiſtrũ morũ, qualis reuera fuit. VVilhelmus,qui ſuos etiã domeſticos ita inſtituit, vti paſſim in varijs cœnobijs religioſorũ alijs prȩficerentur. Plura ſi voles,tibi de hoc ipſo planè diuino viro ſuggerit Haymo Hirſaugiẽſis Prior & primus ſcriptor Actorũ vitæ VVilhelmi. Deinde Trithemius qui pleraq; ex eod. quẽ laudat, Haymone tranſcripſit. Poſtremo Carolus Stengelius qui ad Haymonem notas bene longas adjecit.

B. BER-

Digitized by Google

B. BERTHOLDVS.



Quàm veri BERTHOLDE Patres, BERTHOLDE Nepotes,
Sunt BERTHOLDE tibi Religione pares!
Si spectes vitæ leges, legúmque rigorem
Silvicolas vincis tu propè Pachomios.

Nec factis BERTHOLDE tuis miracula desunt
Ad te Squamigerum denatat amne pecus.
Sarcophagi funus Superi plorabile geſtant!
Quæ pompa in cælo, quisve triumphus erit?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

B. BERTHOLDVS
GARSTENSIS.

NE bone Lector in ipſo ſtatim limine hujus hiſtoriæ offendas, obſeruandum tibi eſt, duo eſſe Cœnobia ejuſdem propè nominis, quorum alterum eſt ad Oenum in Secunda Bojaria ſitum, *Gars* nomine, perantiquum, de quo Hundius & Gevvoldus in Metropoli; alterum Garſten in Ripenſi Norico ſupra Anaſſum, quod olim quidem intra Bojariæ limites cenſebatur, hodie verò Sereniſſimis Auſtrijs & Auguſtiſſimis Imperatoribus paret. vt jam pridem etiam paruit. de quo nobis hoc loco narratio eſt. Bertholdus enim quem hîc laudamus primus illius nobiliſſimi & ampliſſimi Cœnobij præſes fuit & Abbas, cujus tamen nec patriam, nec parentes, nec annos ſacri Magiſtratus, aut vitæ aut mortis, in edita ipſius hiſtoria lego, quæ fuit Priſcorum ſcriptorum ſimplicitas: Nobili tamen familiâ ortum non dubito, cùm illius cognatos nobiles fuiſſe cognoſcam. Quo verò potiſſimum tempore vixerit, ex Conditore illius Monaſterij, & Conrado Salisburgenſi Pontifice, quem in ſecundo opere Bauariæ S. collocauimus, cui Bertholdus etiam iſte familiaris erat, vtcunq; nos aſſecutos credimus. Conradus enim Salisburgenſem Pontificatûs Cathedram conſcendit ſub annum Chriſti milleſimum centeſimum ſextum, vt è ſyllabo Archiepiſcoporum intelligi poteſt, quando poſtea Eccleſiam Salisburgenſem Conradus per annos duos & quadraginta magna cum laude rexit, ſed ab Imperatore Henrico quinto, Romanis quarto, proſcriptus ad Bertholdum confugit, quem amantiſſimè complexus tamdiu aluit retinuitq; quamdiu Conradus ipſe ſecurè potuit illic deliteſcere, vbique ad necem conquiſitus, cùm locum ex loco mutaret & in ſiluis, montiùmque cauernis & vallibus cœnobijsque & priuatis ædiculis lateret: quo tempore etiam ab Otocharo, eximio pacis Iuſtitiæ & Religionis cultore (quem Scriptor vitæ Bertholdi *inexpugnabilem Eccleſiæ turrim* contra immanitatem tyrannorum appellat) cum ingenti honore, quamuis exul & profugus exceptus eſt, quod ea tempeſtate nullus ſatraparum aut principum, metu Cæſaris, auſus

Anno circiter 1106. & ſequent. Ex MS Cod. Bibliothec. Cæſarea Viennenſ. Et Editione Iacobi Gretſeri.

Vide Othonem Friſingenſem in Gebhardo. Baron. to. x. an. CIↃ CXI.

eſt facere. Sed nos ad res à Bertholdo geſtas & ſtudia pietatis, ſtilum conuertamus.

Garſtenſe cœnobium condidit regulus Tauriſcorum Otocharus (quem Styriæ Marchionem appellabant) heros inclitus & Catholicę religionis perpetuus cultor & acerrimus propugnator, ſectatórque veræ pietatis. Sed in eo domicilio primum clericos duntaxat collocauit, nullis votorum vinculis & legibus religioſorum adſtrictos, quibus præfectus eſt quidam Eberhardus: quo è viuis ſublato, cum illius domeſtici, turba Clericorum ſolutior ſub æſtatem ludibunda in vicino flumine ināataret, & ſe vorticibus amnis incauti committerent, nonnulli ex eo cœtu fluctibus hauſti interierunt. Quare Princeps, vt erat pius, magnopere offenſus. ſtatuit eam domum in Religioſum Cœnobium commutare, quod & hac occaſione viáque aggreſſus eſt. Celebranda erat Principis Eliſabethæ Otachari conjugis illic in Odeo templi conditæ, anniuerſaria exequiarum memoria, ad quas rogatu reguli magnus circumjacentium parœcorum & clericorum ex vicinis opidis, pagis, vicis erat concurſus. Re ergo diuina funebribúsq; peractis, præſentis nomine principis Vicarius è loco ſuperiore ad Clerum in hanc ſententiam verba fecit. Decreſſe Conditorem illius Eccleſiæ illuſtriſſimum Marchionem, quem præſentem cernerent, ſtatum illius loci & religionis in meliorem formam redigere. & dimiſſis Clericis, illic viros religioſos, quorum pietas & virtus paſſim nota vbique gratiſſimum religioſæ vitæ & virtutis ſpargeret odorem, collocare. Quapropter non fore deinceps neceſſe vt ad Anniuerſarias illuc defunctorum celebritates peragendas conuenirent; omnia enim ſacra per Monachos mox introducendos peractum iri. Dimiſſo Clero, Princeps Kotvvigam reuerſus ibi cum Luipoldo (hodie Leopoldo) Auſtriæ Regulo, cujus ſororem olim in Matrimonio Otacharus habuerat, conſilia ſua contulit, ipſiúſque ope & auxilio viros religioſos in Garſtenſe cœnobium introduxit, quod intra paucos annos miris modis propter ſanctitatem maximè Bertholdi Præſidis Religioſorum effloruit.

Erant è Clero nonnulli Otacharo Principi jure prouinciæ & Natalium ſubjecti, ſeruíque jam à Majoribus vſque obnoxij, quos ſecum retinuit, quamuis lege Eccleſiaſtica Clerici manumiſſi ſint, quando vitæ genus ciuile Domino non repugnante in ſacrum commutant. Hos, vt ſuos, regulus noluit à ſe dimittere, ſed ſecum tanquam amicos charóſque retinere, ea tamen lege, vt religionem profiterentur, & hac via ad cælum properarent. E quibus erant

Digitized by Google

bus erant Vdalricus, paulo poſt ad S. Lambertum in cœnobiarcham aſſumtus, altérque Vdalricus ad Gluonicum Præſes deſtinatus; nec non Dominus Eberhardus, cum alijs quibuſdam, quorum nomina non ſunt expreſſa. Cùm ergo Princeps Otacharus hanc ſuam ſuis Clericis voluntatem aperuiſſet, nemo fuit, qui non refragararetur, pręſertim Eberhardus negauit quemquam ad profeſſionem Monaſticam inuitum & recuſantem cogi poſſe. Sibi nondum animo ſediſſe præſentem vitæ ſtatum cum religione commutare, rem eſſe perdifficilem & arduam; Dei nutum & diuinos hic à meliore ſpiritu impulſus attendendos & expectandos. Hìc Marchio: Mei, inquit, eſtis vſu & mancipio: ſi vltro manus dederitis, mihi ſemper in paucis chari gratíq; eritis, veſtríſq; commodis ſtudebo ſemper. Si refractarij eritis, nolentes cogam. Erat regulus parum peritus ſanctionum Eccleſiaſticarum; fortaſſe etiam nondum promulgatarū, omnia tamen optimâ mente, ſpectata omnium ſalute, factitabat. Cum ergo reliqui omnes in vota ſui Principis conjurarent, ſolus Eberhardus nulla ratione poterat adduci vt conſentiret; quem Princeps, ratus id ſui juris eſſe, juſſit vinculis adſtrictum verberibus plagíſq; ad religionem profitendam cogi, quod erat, ex verbo Chriſti *Compelle intrare.* Eberhardus verberum atrocitate mitigatus, pollicitus eſt, ſe in verba S. Benedicti & religioſas ejus leges juraturum, quod & fecit, & quāuis initia tirocinij aſpera & inſolentia perſenſerit, vſu tamen & conſuetudine omnia mollientibus, ingētes fecit in religione progreſſus, vti Bertholdo inprimis charus illíque à ſacris Miniſter eſſet, ejúſque labores ſuis miniſterijs egregiè ſubleuaret.

Inſtituto ergo cœnobio Garſtenſi, & Bertholdo è S. Blaſio vbi Prioris officio fungebatur, accerſito, communibúſque & Principis & Patrum ſuffragio in Præſidem Monaſterij electo, res optimè feliciſſiméque cœperunt progredi, Deo omnia proſperante, ita vt numerus religioſorum in dies creſceret, & Marchio nihil rerum illis in vſu vitę neceſſariarū negaret, imò vltro offerret, nihilq; deeſſe pateretur. Quapropter Bertholdus Abbas nulli facilè, Deo ſeruire volenti aditum præcluſit: Cùm interim leges ac diſciplinam religioſam nullo modo relaxaret, adeò vt nemini extra Monaſterij ſepta liceret pedem efferre, præter eos qui rem familiarem & domeſticam, adminiſtrare, & omnibus ad victum cultúmque neceſſaria procurare jubebantur. Domi verò minima etiam ſubjectorum delicta caſtigabat. In menſa nihil ſuis domeſticis quibuſcum accumbebat, deeſſe patiebatur. Cùm aliquando

Digitized by Google

quando portio vini vel piſcium, quæ in ſingulos diuidenda erat, non ſuffectura videretur, ipſe de gratia Dei & benignitate certus, nihil dubitabat fore, vt etiam ſub manibus miniſtrorum creſceret, quod erat diſpertiendum. Accubanti olim cum pluribus, lanx piſcium appoſita eſt, è qua cum ſingulis ſibi aſſidentibus ex illa patina, quod ederent, appoſuiſſet, omnibus jam conuiuantium quadris oneratis, nihil tamen è lance communi, diminutum animaduerebatur. Ipſe nec de piſcibus, nec de alijs melioribus & delicatioribus obſoniis quicquam deguſtabat, carne omnino iam ex antiquo legum inſtituto abſtinebat: ſed latrantem ſtomachum pulte & pane cibario placabat. Si quid ipſi rarioris palati inferretur, vel domeſticis ſuis impertiebatur, vel ægris, miſerisq; & elephantiacis ſubmittebat. Cùm de nocte quietem caperet, ita corpus componebat, vt nec ſe deueſtiret, nec penitus in lectũ inclinaret; ſed pendentibus è lectica pedibus, partim ſedere, partim iacere videretur, cum nec verè aſſideret, nec iuſtè lecto incumberet. Nunquam Bertholdum vidiſſes otioſum, ſed ſemper vel precibus, vel lectioni, vel literis aliisque rebus conſcribendis intentum.

Sæuiente & hibernante cælo, nunquam hypocauſta accedebat, ſed ſubinde ad focum ſedebat, ita tamen vt inter ignem & ipſum tabula rotunda interponeretur. Corpus adeò afflictabat, vt illius ſententiæ penitus oblitus crederetur: *Nemo ſuam carnem odio habuit, ſed nutrit & fouet eam.*

Corpore erat tam extenuato & exhauſto vt vix oſſibus hæreret, penitúſque ſqualeret, omnibus demirantibus, quomodo labores tantos ac tam diurnos quàm nocturnos ſuſtineret.

Erat, cùm ſacram in ſe cœnobij præfecturam primum ſuſciperet, tenuis admodum cenſus Monaſterij, qui tamen paucis illis, qui cum illo ſtadium religionis decurrebant, ſufficeret: ſed numero Patrum fratrúmque vehementer aucto, cæleſtis Paterfamilias etiam annuos auxit reditus, multis tam è nobilitate, quàm alijs certatim ſua prædia, villas, agros cœnobio conſecrantibus. Vnde & ipſe liberaliſſimè, quicunque illius opem & auxilium implorabant, quibuſcunque rebus egerent, impertiebatur. Quo plura enim elargiebatur, hoc plura accipiebat. Euenit ſubinde, vt ex rerum domeſticarum copijs nonnulla ab Oeconomis reconderentur, veritis ne res deficeret. Quod vbi Bertholdus animaduertit, omnia illa clanculum abdita, proferri & tamquam furto ſublata in flumen ſpargi juſſit. Enimuero hoc parum fuit,

Vſu

Digitized by Google

Vſu venit vt ex paupertina rogatorum tribu accederet ad Bertholdum, qui ante fores cœnobij conſtiterat, & ſtipem leuandæ inopiæ ſuæ rogaret. Iuſſit hunc Bertholdus pro foribus expectare, donec ſubſidium aliquod famis acciperet. Nam in zona ſua nihil numorum ſecum Præſes circumferre ſolebat, indices duntaxat defunctorum in illa conditos habebat. Itaque Promocondo imperat, vti tres è conclaui ſuo denarios proferat miſero impertiendos. Negat Cameræ Miniſter & Oeconomus quicquam pecuniæ adeſſe. Mihi verò, inquit Bertholdus, nullus ſit numus in arca: Perſeuerat alter nihil numorum apparere. Dentur inquit Abbas mihi claues, quas cum ſuis religioſis tradidiſſet, imperaſſétque vt in cubiculo omnes angulos perluſtrarent, inciderunt illi in vas æneum, plenum denarijs: quod adeò ægrè tulit religioſiſſimus pater, clam ſe, conditam fuiſſe pecuniam, vt illico totam juſſerit proferri, & in flumen abijci, * exemplo opinor Diui Gregorij, qui in Dialogorum libris de quodam è monachis * aliquot aureolos reconditos habente tradit, repertos illo ægrotante, & paulo poſt extincto. Præceptúmque omnibus illis religioſis Patribus, exceptóque germano fratre, vti nemo illum accederet, velut communione publica interdictum, numóſque cum mortuo in ſepulchrum abjectos cum dicto: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Triginta quoque diebus nullas pro illius ſalute piaculares preces aut ſacrificia fieri paſſus eſt. Quibus ille diebus grauiſſimas in igne piaculari pœnas exſoluit, ac tandem per ſuorum preces pœnis exſolutus ad cælum liber euolauit.

** lib. 4. cap 55. Et apud Surium 12. Mart. in vita S. Greg.*

** tres aureos*

Actor. 8.

Bertholdus autem ſuum Camerarium (ita appellabant) ſubjecto alio, ſtatim ab officio remouit. O virum ab omnibus pecuniarum ſordibus alienum, in cujus puriſſima mente tanquam ſole Deus æternum ſibi fixit tabernaculum.

Plura hujus exempli facta in hiſtoria Bertholdi memorantur. Acceſſerat enim eundem alio tempore ex infima pauperum ſorte, qui ſubſidium aliquod ſtomacho petebat; miſit illico Pater ad Præfectum piſtrino, qui vnus è religioſis erat, juſſitque eſurienti panem præberi. Negauit ille panem vllum in piſtrino eſſe. Rem ſuſpectam habebat Bertholdus, & ſubmiſit alium è cœtu ſuorum, cui Erchingerus nomen erat, vt videret, an ita ſe res haberet: qui ingreſſus piſtorum officinam illic triginta panes inuenit. Itaque Bertholdus conuocato toto Patrum fratrúmque contubernio refractarium illum negatorem diris verberum plagis excepit, & panes omnes tanquam execratos in flumen abjecit.

Quando

Digitized by Google

Quando aures Confitentibus præbebat, quod frequentiſſimè fiebat, dona quæ offerebantur, nunquam attigit, ſed ad pedes ſuos relicta, per adjutores qui religioſi quidem, vt apud nos hodie, ſed illiterati erant, colligi præcepit, & in domeſticos diſtribui, ne Patres choro & literis, rebúsq; ſanctioribus addicti per hæc externa officia diſtinerentur & diſtraherentur. Rudibus autem illis fratribus nonnulli ex Patribus præerant, vt eorum animos regerent, atque perpetuam inter illos alerent concordiam. Iam fama de vitæ ejus innocentia, virtutibus, & morum ſanctitate longè latéque propagata multos è longinquis etiã oris ac regionib⁹ trahebat, vti certatim ad illum properarent, atque ad pedes ejus in tribunali cõfeſſionis procumberent, labes vitæ & dicta, factáq; aperirent, quos cum ingenti patientia audiebat, alijsq; negotijs omnibus, etiã officij ſui interim Priori commiſſi, ſepoſitis, ad peregrinos juuandos properabat, dilato interim ſacrificio, quod nunquam intermittebat, quamuis jam ad illud in procinctu eſſet. Nec perfunctoriè ad confeſſionem accedentes audiebat, ſed prout vſus exigebat & neceſſitas, cuíq; ſeruiebat, quærendo de fide & religione Catholica, precatione Dominicâ, ſi rudiores eſſent, quam etiã docebat ignaros. Nullum autẽ quicunq; & cujuſcunq; ſortis, conditionis, ſtatus eſſet, ſine plagis & verberibus pœnæ loco inflictis dimittebat, quando illi ſuos conſcientiæ lapſus aperiebant. Nec interim ab ipſo, quamuis durius & verbis & verberibus accepti (ô ſæculum ſimplex ſed pium & ſanctum) abhorrebant. Accedebant ſacri & profani, religioſi & politici, & nonnunquam mutata veſte, ne agnoſcerentur; quos tamen ipſe diuinitus edoctus non ignorabat, qui eſſent. Aduenerat è ſacro ordine * Chremiſſenſis cœnobij Prior, ſed ciuili cultu, ne agnoſceretur tectus, quem cum à Confeſſione peracta dimitteret: Domine Prior, inquit, Da operã, vt in tuo monaſterio omnia piè, ordine, & ſanctè adminiſtres. Hîc ille demiratus obſtupuit, ſe contra quàm ſperarat, aut expectarat deprehensũ, quod ipſe poſtmodum alijs retulit, quid ſibi cum S. Patre Bertholdo accidiſſet. Elucebat è vultu ipſius pietas, innocentia, virtus & religioſa ſimplicitas. Pernoſcebat diuiniore ſpiritu occulta mortalium vt prophetes; colebatur ab omnibus vt Sanctus, amabatur vt Pater, erátque velut oraculum ſui æui.

* *Chremiſſa cœnobium.*

Habebat ſecum in cœnobio Iuuenem religioſa quidem toga indutum, ſed parum religioſè viuẽtem, germani fratris filium, ſibi etiam cognominem, ſed non perinde virtutis æmulum, imò contumacem, refractariũ, improbũ deniq; & ſanguinis propinquitate

abutentem.

Digitized by Google

abutentem. Sæpe etiam extra ſacra monaſterij ſepta & caſtra excurrere conantem, & pro ſuo voto liberiùs agere omnino volentem. Quem patruus ſæpè acerbè reprehendebat, acritérque caſtigabat, ſed parum interim proficiebat. Itaque deſperata ejus emendatione ad vicinum illum Kotvvicenſe monaſterium amandauit, vt illic pro more diſciplinæ, abſciſſa ſpe omni propinquitatis, rigidius tractaretur. Eia, inquit, abi Bertholde, ad aliud domicilium, vbi ſenties quantopere mea bonitate abuſus ſis: dolebis ſæpe, & nunquam afflictione carebis. Multas mihi turbas creaſti, & grauiter ſæpe afflixiſti. Abi ergo & res tuas illic age, ac ſi potes, emenda. Abijt Kotvvicum, & cum nec ibi frugi eſſet, nec parere majoribus didiciſſet, eliminatus & ejectus pérque omnem orbem vagus, miſer & exul, rebus etiam vitæ neceſſarijs deſtitutus, demum in exilio (atq; vtinam non à cælo etiam proſcriptus) ſpiritum infelix exhalauit.

Cæterùm nulli facilè aditum, qui ad religioſam vitam aſpirabat, præcluſit, quantumuis improbus antea fuiſſet. Nam & furtis & latrocinijs infames in ſuam familiam admiſit; exemplo nempe Chriſti fontis miſericordiæ & Sanctorum Patrum, qui in ſolitudinibus aſceticam vitam exercebant, diuertentes ad ſe ſicarios & nocturnos graſſatores ab ſuo & ſuorum contubernio non excluſerunt; quos vero animi dolore tactos ad religionis aſilum, pro conſequenda ſalute profugere ſenſerunt.

Hoc genus hominum ad ſe venturum diuinitus intellexit, & inter hos etiam breui vnum ex illis fores Monaſterij pulſaturum prædixit Bertholdus: cúmque Patres rogarent, quis ille eſſet? Nihil aliud reſpondit, quàm virum eſſe miſericordia ſua non indignum, anxium & vitæ ſuæ diffidentem. Et ecce adeſt poſtridie anhelus miles Leo, qui à Magiſtratu propter latrocinia & abactas prædas ad furcam quærebatur, qui manus illorum elapſus ad monaſterium gemens treménſque accurrit, & pedibus Patrum affuſus obnixiſſimè ſingulos prenſans rogauit, vt quamuis indignus, in cœtum tamen fratrum admitteretur, veſtéque religioſa tegeretur, vt hac via publici ſupplicij pœnam euaderet. Renunciant hæc Patres Abbati Bertholdo, qui illum actutum tonderi, veſtéq; religioſa indui, & in familiam adſciſci jubet. Sic ille ex ferociſſimo Leone mitiſſimus agnus, ex atrociſſimo latrone patientiſſimus Dei, & Seruorum Chriſti ſeruus effectus non ſolum præſens vitæ periculum euaſit, ſed miſerante Deo æternam quoque ſalutem eſt conſecutus.

Erat

Erat alius ex eadem natione furum & Latronum, Embichus ab eodem Bertholdo ex ipſis prope faucibus mortis ereptus, & cælo tranſcriptus. Hic dum cum ſuis egregijs latrocinij commilitonibus inſtitores inuadit, peſſimè ab illis acceptus & vulneribus confectus, tantùm non animam exhalarat. Sed dilapſis mercatoribus, ab ſuis aſportatus, & præter ſpem per vulnera à furioſa viuendi conſuetudine ad ſaniorem mentem per infinitam Dei clementiam reductus, toto animo Deum complexus eſt, & ad religioſam vitam verè ſinceréque aſpirauit. Itaque ad Bertholdum hunc noſtrum ſupplex acceſſit, & in ſanctam ipſius familiam admitti etiam atque etiam poſtulauit. At enim totus Patrum fratrúmque conuentus omnibus modis Moderatori ſuo reſtitit; hominem improbum & prædonem & latronem, nulla ratione in religioſum familię contuberniū admittendum, ne ipſi ſpoliatis ab illo, injurijsq; affectis tanquā repetundarum rei redhibere ademta cogerentur. Fregit tamen feroces ſuorum animos mitiſſimus Pater, & in ſuam ſententiam omnes domeſticos manſueta oratione pertraxit. Receptus miſer & cultu ſacro indutus, omnes ſibi per ſummam animi modeſtiam, ſubjectionem & vltima omnium miniſteria conciliauit.

Cupiebat quidem Embichus & literis operam dare, ſed refragabatur natura & durius ingenium. Quapropter juſſus eſt ægris in valetudinario deſeruire. quod ille miniſterium cum ſumma animi alacritate, patientia & charitate ſuſcepit, & ad vltimum vitæ tempus proſecutus eſt. Siluam ipſe humeris ſuis, ex vicinis ſaltibus deportauit, æſtuarijs & hypocauſtis ad calorem excitandum ſubjecit, cibum appoſuit, manibus ſuis incidit, & interim ſecum dominicas preces admurmurabat, nec quidquam ex illis deguſtauit. Reliquias menſæ pueris, qui in clauſtro de more extra tamen Religioſorum ſeptum verſabantur, adferebat, quos primum rogabat, vtrum aliquid è Pſalterio poſſent accinere? Affirmantibus, analecta ciborum porrexit, &, Me, inquit, à veſtris precibus & pio cantu non excludite. Tum carnium fruſta ſuis manibus conciſa illis abſumenda præbuit, & ad illorum menſam tanquam famulus adſtitit, nec interim piam comprecationem vnquam intermiſit. Quando in triclinio cum alijs religioſis Patribus fratribúſque accumbebat, parciſſimè quod apponebatur, deguſtabat, & comedere ſe potius ſimulabat, quàm edebat, ne nimia abſtinentia notaretur.

Iam biennium in his vltimis miniſterij officijs poſuerat,

cum

cum diuinæ bonitati placuit fideliſſimum ſeruum ſuum pro breuibus vitæ religioſæ laboribus exantlatis, ad ſempiterna gaudiorum præmia euocare, & hîc etiam oſtendere, priuſquam animam ederet, quam grata illi charitas ac pietas hujus ex latrone Monachi, ex Monacho prophetæ extiterit. Morbo enim correptus & in lectulum conjectus, non auſus fuit toto corpore culcitræ incubare, ſed vt plurimum ſedebat tantùm, ne nimium quieti indulgeret. Poſt dies ergo non multos ingraueſcente jam morbo, cùm ſe ad vltimam vitæ lineam peruenisſe crederet, rogauit miniſtrum ægrorum, vt ad ſe Præſidem ſuum Bertholdum ſibi dilectum Patrem aduocari curaret. Venit ille. Cui Embichus præſentibus alijs nonnullis velut teſtibus: Reuerende, inquit, & religioſiſſime Præſul, mihíque dilectiſſime Pater, Deus Optimus Maximus charitati & pietati veſtræ omnem gratiam beneuolentiam & patientiam mihi ſemper exhibitam cæleſtibus gratijs & bonis compenſet. Ego jam delibor, & completis extremæ neceſſitatis officijs ad deſtinatum mihi æternæ felicitatis, vti certò ſpero, finem propero. Vos cœpiſtis in me opus bonum, quod diuina clementia perfecit. Cúmque pius antiſtes illum mitiſſima oratione conſolaretur, & ſpem ſimul longioris vitæ polliceretur, nec vnquam ipſius periculo defuturum diceret, vbi vires deficerent. Quod vultis, inquit, facere, quamprimum facite; ego enim mox hinc decedam, quem paulò pòſt iſti, quos ex nomine ſignauit, Patres fratrésq; ſubſequentur. Proinde R. Patern. Veſtra illos hortabitur, vt ad vltimum vitæ momentum ſint parati. Hîc Bertholdus cœnobiarcha ægrum vaticinantem conabatur compeſcere, quod nullam earùm rerum, quas prædiceret haberet cognitionem. Sed æger: imò verò, inquit, mihi præſens ſum; quid loquar probè ſcio, & res ipſa mox docebit, me vera pronunciaſſe: quatuor ex conuentu noſtro me quamprimum ſequentur: Tum tua Reuerenda Paternitas viuendi quoq; finem faciet, quam tres alij ex eodem noſtrò cœtu mox inſequentur. Dictum, factũ; quatuor à morte Embichi paulo poſt extincti ſunt: quintus fuit ipſe Præſes & Abbas Bertholdus, quem tres poſtremò ita inſecuti ſunt, vt ſuum antiſtitem prope comitati putarentur. De ipſo verò Præſule Bertholdo hoc adjecit, paratum illi in cęlo inclitum thronum mirisque modis ornatum & ſplendidum (quod & Sibotus moriturus prædixerat.)

Atque his dictis ſacra in viaticum Euchariſtia percepta Embichus ab exilio in cæleſtem Patriam, cæleſtium apud Superos Ci-

uiumContubernalis futurus,emigrauit. *Venit enim filius hominis quærere quod perierat, & vocare non juſtos ſed Peccatores,* qui ſæpe ijs qui videntur Iuſti, vt olim Phariſæi palmam præripient in cælo, quando Chriſtus publicè teſtatus eſt: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.*

Nunc ad Bertholdi mira quædam facta, quæq; non ſpeciem tantū prodigij aut miraculi habebāt, ſed reipſa miracula fuere veniam'. Garſten amnis, qui alluit cœnobiū à quo & nomē accepit, torrentibus auctus ita viciniam omnē oppleuerat, vt cœnobium quoque inundaret, omnéſque officinas clauſtri, aquis dilueret, ita vt religioſi Patres inter ſe commeare non poſſent, niſi per exundantes aquas incederent. Qua de re cum apud Præſidē ſuum Bertholdum quererentur, conſolatus eos: Ite, inquit, ad triclinium & accumbite, torrens enim iſte, quod peccauit, luet, ac deinceps intra alueum ſuum collectus, nunquam vobis amplius moleſtus erit. Adijt Conuentus cenaculum & aſſedit, precante interim Bertholdo, cùm ſubitò contractis torrens aquis, fugiénsq; ex Clauſtro ſeſe in ſuas ripas coërcitus abdidit, nec in cœnobio vnquā viſus eſt amplius; nec vnquam deinceps tam latè expatiatus eſt. Patres fratréſq; in ſtuporem dati Patris ſui ſanctitatem magnopere venerati ſunt, Chriſtum imitantis, qui ventis & mari olim præceperat, vt & flamina flabrorum ponerent ac conticeſcerent, & fluctus ſubitò detumeſcerent, mira ponti & cæli ſerenitate & tranquillitate diſcipulos recreante.

Bertholdus verò aliud ex alio prodigium edebat. Inſtabat dies S. Iacobo, Euangeliſtæ germano fratri ſacer, quo de more in menſam piſces erant Patribus apponendi; Sed nihil erat prouiſum, nec in piſcina quicquā iñatabat, nec in menſa apparebat. Grauiter ergo offenſi omnes, poſtridie in ſolenni conuentu cum ſuo Præſule ea de re vehementer & acerbè expoſtularunt, quod ſolueret antiquas conſuetudines, neque leges ſibi præſcriptas obſeruaret, atque interim vrgeret diſciplinam Cœnobij, à qua nec latum vnguem quemquam pateretur recedere. Durum hoc eſſe, juſtáſque totius ſacri conſilij querelas. Quid faceret hîc pius Paſtor quaſi deprehenſus in culpa? Ad omnium ſubjectorum pedes ſupplex accidit, veniam negligentiæ petit, nec impetrat; tantus erat tumultuantium clamor & odioſa vociferatio, vt viderentur ſibi merito quiritari, cùm haberent confitentē reum. Cùm igitur mitiſſimus Pater ſuorum ſibi obloquentiū & obſtrepentium inſolentiſſimos clamores non poſſet compeſcere: Bene habet, inquit, Expectate

paulìſper

pauliſper & quieſcite, hoc ipſo die vobis piſcium orbes & copiam ad ſatietatem apponam. Nondum apparebat vnde promiſſis ſatisfaceret, cùm ille ſpei de Dei clementia conceptæ plenus, foras paululum è cœnobio progreſſus obuium habet piſcatorem, qui imanem illi * Coracinum offert. Lætus ille occaſione tam commodè oblata, quà ſuorũ ora obtunderet, receptum ab offerente piſcem ſtatim curat apparari, & eodẽ die ad cœnã inferri. Itaq; velut olim Moyſes populi in deſerto carnes poſtulantis Deo coturnices ſubmittente, deſiderium explevit, ita Bertholdus Patrum fratrumque ſuorum illatà ingenti coracini patinâ, obmurmurantium querelas ſedavit: Deo non tam ipſis quàm dilecto famulo ſuo Bertholdo gratificari volente.

Ord. 3. p. 56.

** Vide Geſnerũ de Piſcibus à Corace Coracinus quaſi Coruinus à Coruo dicitur.* Seerapp.

Nondum finis hujus capitis. Advenerant peregrè hoſpites & amici dignitate & officiis venerandi eoq; paulo lautius accipiendi & tractandi: ſed vacua iterum erat piſcina. Præcipit ergo antiſtes cœnobij miniſtris, vt naſſã in flumen demittant, ſagenã explicent & prædam captent. Negant illic quicquã piſcium inueniri, ſe jam diu in piſcando operam luſiſſe: ſed Bertholdus Deo ſolo fretus, Ite, inquit, magna Dei clemẽtia eſt, verriculũ exponite, trahite, ſpes eſt fore, vt ſicut olim ad Imperiũ ſui Magiſtri diſcipuli, qui tota nocte laborantes nihil ceperant, laxarunt retia, & vim ingentẽ piſciũ retibus concluſerunt, vos quoq; ad conſiliũ meũ explicatis retibus ſagenam piſcibus impleatis, ſimúlq; cum illis ad januã monaſterij deſcendit, ibiq; rei euentum tacitis votis expectauit. Vix miniſtri ad ripas amnis acceſſerant, cum vident pinguẽ Thymallum quem Ruffus perſequebatur, ſeſe in ripã euoluentem; captum ergo vnà cum hoſte vtrumq; gratulabundi Domino ſuo ac pio Patri obtulerunt, ille, nunquã Deo diffiſus, conuiuis. Miniſtri autẽ rẽ in miraculũ traxerũt, quos tamẽ ille quantũ poterat coercuit; *Sed quò ille magis prohibebat, hoc illi magis* prædam hanc inuſitatam *prædicabant.*

Aſch ſeu Aeſch: *Geſn p. 313. & 314 De Ruffo idem p. 332. Waler.*

Non morabor hic Lectorem enarrandis Bertholdi compluribus miraculis, quæ viuus mortuus perpetrauit, quando omnibus, quoad potuit mortalibus ſuccurrit, pueris, viris, fœminis, vel ab Inferorum monſtris occupatis & vexatis, vel aliàs malè affectis, quando & claudos erexit, & obſeſſos à malo hoſpite liberauit, & ægros haud paucos ad ſanitatem reuocauit, aliáq; id genus curationum multa peregit, quæ à ſcriptore vitæ ejus fusè exponuntur. Mei inſtituti eſt acta vitæ potiſſimum, exponere. Alia à morte prodigia Lectori permitto. Nos ad vltima illius ante mortẽ dicta factáq; accedamus. Ductus jam in lectulũ ſiti æſtuabat. Rogauit

Eberhardum ſuum, qui illi à ſacris erat, vti ſibi è proximo fonte frigidam adferret: Miſit Eberhardus Hiltiboldum famulũ ab ipſo præſule eductum, & à puero enutritum, qui fontẽ adferret. Tulit Hiltiboldus, Eberhardus ægro Patri propinauit, libauit beatus Pater aquam, & vinum ſenſit: Ego, inquit, aquam petiui, non merũ. Aquam, inquit Eberhardus, non vinum famulus attulit, & illa R.ᵃ V. Pat. propinata eſt. Tum Bertholdus, Tua R. inquit, ipſa mihi hauriat, afferat & porrigat puram putam aquam. Iuere ambo & Eberhardus & Hiltiboldus, & ex fonte hydriã impleuerunt, attulerunt, propinarunt. Sed Dei bonitas rurſus fontẽ in vini laticem conuertit, quod vt Bertholdus ſenſit, In lacrymas ſolutus, ô Chriſte ſancte, inquit, quid agis? propter me indigniſſimũ homuncionẽ, & mille peccatorum ſordibus inquinatũ ſigna facis? Interdicit inde vtriq;, ne quid ea de re omnino foras efferant, aut miraculum prædicent, quod tamẽ conſcij, ſæpius illi aliàs etiam vſu veniſſe teſtati ſunt. Hiltiboldus certè poſt B. Patris mortẽ hæc nõ ſine lacrymis ſcriptori vitæ ipſius expoſuit. Ex quo conſtat, quàm antiquus auctor vitæ ſit, beato inquam Patri Synchronos & æqualis.

Grauiſſimè eod. tempore laborabat Admuntenſis antiſtes Godefridus, qui deſperatâ vitâ, miſit qui nunciarent B. Patri Berchtoldo periculũ ſuũ, vt à morte funus ipſius curaret. Sed B. Bertholdus nuncijs: Ite inquit, veſter pius Præſul reualeſcit, ſimúlq; meo nomine Præſidem veſtrũ rogate, vt ipſe potius ad meũ funus curandum, vbi de morte nunciũ acceperit, veniat, & ſacra piacularia perſoluat. Ergo Godefridus reualuit, Bertholdus paulo poſt extinctus eſt, cui Iuſta Admuntenſis ipſe præſens perſoluit.

Beatus autem Bertholdus priuſquam animam ederet, toto ſuorum cœtu ad ſe vocato, & per confeſſionem expiato, ſingulisque manu ipſius inflictas plagas in expiationis pœnam excipientibus, ab omnibus ſumma cum animi ſubmiſſione veniam precatus, ignoſcerent, ſi quid in eos deliquiſſet. In lacrymas inde & luctus, & mœſtos omnes vlulatus erupere; quos pius Pater ſuaui oratione permulcens: Tempus, inquit, filioli, me ex præſenti vita euocat, quod equidem jam diu multis votis exoptaui & expetiui. Interim etiam defunctus veſtri memor vobis in omnibus periculis non deero; corpore, non animo à vobis recedo. Non deerunt tamen à morte mea, qui cœnobiũ hoc veſtrũ affligent & vexabunt, capiétq; aliquod detrimentum; ſed enim ad priſtinum vigorem & ſplendorem annuente Deo breui redibit. Cùm porro viderent religioſi Patres de ejus valetudine conclamatum eſſe.

rogant quem potiſſimùm ſibi ſucceſſorem deligendum putet, polliciti ſecuturos ipſius conſilium quemcunq; deſignaſſet. Tum B. Pater, Si, inquit, conſilium meum quæritis, & ſequi vltro volueritis, bene vobis, bene cœnobio, bene omnibus eueniet: Sin contrà: mox ipſos veſtræ vos ſententiæ pœnitebit. Hunc ergo præſentem vobis Eberhardum adminiſtrum meum, fidum prudentem, pium, & optimum Patrem vobis adſciſcite in præſulem, & mihi ſubrogate, & conſtabit loco ſua dignitas, nec vllum vlla in re detrimentum capietis. Laborat quidem is vitio linguæ, ſed blæſi defectum ſupplebit cæleſte ſuffragium & munificentia Dei. Laudant omnes in præſens B. Patris conſilium, ſpondéntque omnes vltro ſe lubentes volentes ſecuturos. Sed nos

Laudamus veteres & noſtris vtimur annis.

Nam vbi B. Pater expirauit, Religioſi Patres, repudiato Eberhardo, alium ſibi præfecerunt. Nec ille magis præfecturam hanc præſulis ambijt, quàm illi negauerunt. Digreſſis enim omnibus à beato Patre, cum Eberhardus ejus jam frigentis & emorientis pedes ſinu ſuo foueret. Itáne inquit, de R. P.^ti^ V^æ^ ſum meritus, vt pro tot obſequijs, officijs & miniſterijs, quibus R. P.^ti^ V^æ^ tot jam annis tantâ cum fide, charitate, & animi ſubmiſſione deſeruij, me jam his tam odioſis & moleſtis præfecturæ honoribus, non tam honorare quàm onerare velit? R. P. V^a^ tendit ad ſempiternam quietem, & me infinitis implicare vult difficultatibus, & nouis obruere laboribus ac calamitatibus. Non ſum oneri huic ferendo, ſub quo gemerent etiam qui portant orbem. Næ ego, per R. P. V^æ^ ſalutem, aliam viam inueniam, per quam omnes has afflictiones mihi imminentes elabar. Mortem R. V^æ^ vel comitabor vel breui ſubſequar, hoc me à bono Deo conſecuturum confido. Hujuſcemodi verbis expoſtulabat cum B. Bertholdo pius Eberhardus. Interim morbo ingraueſcente B. Bertholdus ad vltima tendebat. Nam per plures jam dies ſtomachus nihil cibi alimentiue admiſerat, vt omnino deficere videretur: cum familiariſſimus illius Eberhardus tenuem ſuccum ori ejus inſtillauit; quem vt æger ſenſit; Parcat inquit tibi Deus, quid feciſti? debebam pœnæ loco jejunus durare ad Calendas Sextiles: qui dies ſolennis eſt vinculis S. Petri Apoſtoli, atque illo ipſo die è vinculis corporis exire, libérque celebritatem illam apud ſuperos tranſigere. Iam verò ſumto hoc medicamento non potero ad diem illum aſpirare, citius hinc migraturus. Nec mora, pridie S. Pantaleonis,

leonis, qui dies incidit in VI. Calend. Auguſti, ante preces matutinas, vocatis Patribus ipſe Diuorum omnium nomina in auxilium per Litanias cœpit inuocare, & inter hos, dum palmas ad cælum ad omnes Sanctos, & Dominum Sanctorum conatur tollere, in ipſo conatu elanguit, & piè ſanctéque in Domino obdormiuit.

Ad cujus funebria vocatus Admuntenſis Antiſtes, ſtatim aduolauit, & Iuſta B. Bertholdo perſoluit. Hoc autem mirifiſſimum fuit, quod à Clericorum humeris, qui feretrum geſtabant, Sarcophagus vi cæleſti altius elatus, haud dubiè cælitibus onus ſubeuntibus, ad ipſius cœnobij templum, mirantibus cunctis, & miraculi magnitudine obſtupeſcentibus, delatus eſt, ibidémque à Patribus conditus.

Sub eandem horam qua cœpit Beati corpus ad ſepulchrum efferri, adfuit peregrinus odontalgia grauiter vexatus, qui cùm quæreret quis efferretur, & Beatus Bertholdus nominaretur, ſtatim accurrit, & applicito ad ſacrum ferculum pallio, dum retractum mento admouet, omnis repente dolor abſterſus ab ore euanuit. Plurima enarrantur ibidem variarum curationum prodigia, quæ ſciens, Acta viuorum ſcribere ſolitus, prætereo. Tota enim vita Bertholdi continuum quoddam miraculum fuit.

Atque hæc de B. Bertholdo Antiſtite Garſtenſi. Non tacenda etiam pia mors familiariſſimi ipſius Adminiſtri & religioſiſſimi ſacerdotis Eberhardi: de quo multa paſſim in B. Bertholdo dicta ſunt.

Cœnobitæ Garſtenſes deſignatum ſibi ſucceſſorem poſt mortem Bertholdi, quamuis ipſi promiſiſſent, ſe Eberhardum in Præſidem Cœnobij aſſumturos, contra tamē quàm promiſerant, fecerunt, aliúmque Bertholdo per nouam ſuffragationem ſuffecerunt. Eberhardus verò non ſolum id ægrè non tulit, ſed magnoperè etiam ſibi gratulatus eſt, quod præter ſpem eo periculo defunctus eſſet. Vehementer enim, vt ante explicatum eſt, ab illa Cœnobij Præfectura abhorrebat, cupiebátque omnino etiam vita defungi. Itaque in æde ſacra, ad ſepultum Bertholdi funus aſſiduè excubabat & lamentabatur, multíſque lacrymis ab ſuo Magiſtro & Præſule expetijt, ne diutius ſupereſſet, ſed quamprimum poſita corporis ſarcina ad ipſum euolaret. Ad tumulum ergo B. Patris excubanti, & ploranti ſpectabilis adſtitit ipſe B. Bertholdus, juſſitque paratum eſſe, jam illi mortem imminere, breuíque ad Dei conſpectum admiſſum iri. Vbi B. Bertholdi anima receſſit,

Eberhardus

Digitized by Google

Eberhardus ad lectum Bertholdi, in quo deceſſerat, acceſſit, in illo ſe compoſuit, ægrotare cœpit, & poſt paucos dies, ſubitò cæleſti ſibi viſo oblato, ſpectauit B. Bertholdum ad Aram S. Petri facientem. Itaque è lecto ſe æger corripit, ad Cœnobij Ianuam deſcendit, ad templum egreſſurus: quem domeſtici ſpectantes, rogant, quò æger & ſeminudus tendat? Ad templum, inquit; an vos neſcitis, quod noſter Antiſtes ad S. Petri rem diuinam peragat, ſacrúmque faciat? Illi rati ægrum aliena loqui, reducunt ad Lectum, vbi paulò pòſt expirauit, & ad ſuum Magiſtrum in cœlum properauit. Hic ipſe eſt Eberhardus, qui ab Otacharo Principe & Domino ſuo, quamuis jam Clericus, flagris compulſus eſt religioſum vitæ genus complecti, quod illi tam feliciter ceſſit, vt illi Deus injuriam illam, ſi qua fuit, æternis gaudiorum præmijs compenſarit.

Legiſti ſub initium vitæ B. Bertholdi, me de majoribus illius, parentibus, clientela, annis vitæ & religionis nihil certi ex hiſtoria edita potuiſſe compertum habere. Scripſi interim ad Reuerendiſs. & religioſiſsimum Præſidem Garſtenſis Cœnobij Antonium, vt de quæſitis accuratius inquireret. Reſpondit ergo, primis à me paginis jam editis in hæc verba: Salutem & Officia mea.

ADMODVM REVERENDE ET RELIGIOSE PATER.

Voluit edoceri à me V.ræ P.tas admod. R.da de Patria, Parentibus, ætate & annis S. Patris noſtri Bertholdi, quibus vixit, & quo exceſsit ex hac vita, vt deſcriptio ipſius vitæ Bauariæ Piæ inſerenda eò poſſet eſſe exactior. Perlatis igitur & perluſtratis noſtri, nec non C·ttvvicenſis Monaſterij, monumentis, plura de his hucuſque non potui habere, quàm prædictum S. noſtrum Bertholdum vlta 70. annos vixiſſe, Monaſterio ab A. 1110. & ita triginta annis præfuiſſe, atque eo ipſo anno 1140. die 27. Iulij vltimum diem feliciter clauſiſſe. De Patria & Parentibus ipſius nihil habetur; niſi fortè familia illius ex inſignibus, in quibus fuit Clypeus cum campo cæruleo, & in eo Luna, vt dicitur, cornuta, & Stella Lunæ oppoſita, cognoſci poterit.

Hæc te pie Lector monitum volui, vt pleniorem de hoc diuino viro Bertholdo cognitionem haberes.

Digitized by Google

OTHO
EPISCOPVS FRISINGENSIS.

CIↃCLIX.
X. Cal Octob. 22. Sept.
Radeuic. l 2. c 11.
Io. Stabius in SS. Auſtriæ quos expreſſit Albertus Türer.
Iacobus Manlius patria lingua in SS.
Io Cuſpin in Auſtria ſua p 604.
Baronius tom. 12. anno 1159.
Bellarmin. Card de Script. Eccleſ. p 342.
Hund. Metrop. p. 107
Chriſt. Geuuold. ad eand p. 155.
Chron. Reicherſp. p. 185.
Liber Trad. Friſ.
Vitus Arenb de Ducib. Auſtriæ p. 28 & ſeq. ms.

OThonem Friſingenſem antiſtitem ſuis ingenij monumentis per omnem orbem inclitum in nullis Diuorum faſtis lego, nec Friſingenſibus quidem, quod primùm monere placuit, ne fruſtra quærendo operam ludas. Ne quid tamen lectori ſubducam, quod legi, quod vidi, quod cognoui, hic pono. Nulli ego cælitum ſanctitatis nomen aſſerui, nulli ademi. Scio cujus hoc ſit officium. Othonem tamen Friſingenſem pontificem inter Diuos Auſtriæ prouinciæ diſertè collocant Ioannes Stabius & Iacobus Manlius viri inter doctos æui ſui principes, & Maximiliano Imperatori in paucis ob eruditionē chari. Manlius vno omnes volumine cōplexus eſt, résq; à ſingulis geſtas breuiſſimè deſcripſit, Stabius etiam æri per Albertum Türer Chalcographorum longè principem incidi curauit. Cardinalis quoque Baronius Sanctum in ſuis Annalibus appellare non dubitauit: Beatum prædicauit Vitus Arenbekius: Pium virum ſcriptores melioris notæ omnes. Quia tamen Friſingenſis Eccleſia cujus Otho pontifex fuit, in ſuis proprijs faſtis Othonem præterijt, ego inſerere auſus non ſum. Hæc in anteceſſum. Nunc ad patriam, parentes, majores, genus, cognationem veniamus, ac deinceps egregia præſtantiſſimi & religioſiſſimi præſulis facta perſequamur. Non eſt eadem ratio virtutis in humili & ignotà caſa natæ, & in ſublimi regióque palatio exercitæ. Facilis eſt continentia, modeſtia, ſobrietas, juſtitia in plebeio & agreſti tugurio, vbi nulla eſt occaſio peccandi. Sed inter palatinas aularum delicias eſſe ſobrium, inter nobilium puellarum cœtus caſtum, inter medios honores modeſtum & ſubmiſſum, hoc demum laude admiratione & prædicatione dignum meritò videri poteſt.

Deſcendit Otho ab vtroque parente, origines ſuas ad reges & Cæſares referente. Patrem habuit S. Luipoldum Auſtriæ regulum, cognomento Pium, illum ipſum quem auctoritas publica Eccleſiæ in Album Cælitum deſcripſit, colique inter ſanctos præcepit, quem in tertio volumine Bau. Sanct. legiſti. Auum Leopoldum

Digitized by Google

poldum Pulchrum Auſtrij nominis III. Proauum Adalbertum quem poſteritas Victorioſum appellauit. Abauum Henricum. Atauum Leopoldum Illuſtrem, primum Auſtriæ Marchionem, nec opus altius aſcendere. Fratres habuit Fridericum Ducem Sueuiæ, Parentem Friderici Ahenobarbi Imperatoris, & Conradum Regem Romanorum, Ducem Francorum ſeu Franconum, qui tamen ex alio patre nati ſunt, Friderico inquam Barone de Hohenſtauffen, quem Henricus quartus Imperator Ducem Sueuiæ creauit. Ex vtroque verò parente recenſuit fratres ſeptem, ſorores decem, Agnes enim Leopoldo octonosdenos liberos edidit, virilis ſtirpis octonos, denos muliebris. Erat Agnes Othonis Imperatoris filia, neptis, ſoror, auia, regis ſoror & mater, Pliniana ſanè Lampedone omnium ſententia, multò felicior & fecundior, nam patrem habuit Henricum M. Romani nominis IV. auũ Henricum III. Henricum V. fratrem, Fridericum Ahenobarbum nepotem, Chunradum Italiæ regem fratrem, filium item Chunradum regem Romanorum, Ducem Franciæ; cui nobilitati quid poſſit addi non video. Sed de Othone dici poteſt, quod de Fabio Pelignus vates cecinit;

Ottho qui claris titulos virtutibus imples
Et geminas animi nobilitate genus.

Certè Otho Magnus paſſim in ſcriptis appellitatur, fratres omnes ingenij magnitudine, eruditionis laude, hiſtoriæ editæ memoria, religionis pietate, ſuperauit, patris etiam inter diuos cenſi æmulus, conſecratione eadem nominis omnino dignus. Primum admodum adoleſcens defuncto Neuburgenſi ædi a patre conditæ præſide Othone primo præfectus, ſed vt rectè præeſſe poſſet, Lutetiam Pariſiorum miſſus ingentes ſapientiæ diuinæ & humanæ theſauros ſibi comparauit; omnémq; Ariſtotelis diſciplinam complexus, hiſtoriæ politicæ & ſacræ ſacriſque literis impensè deditus, vt facilè inter totius Germaniæ præſules, vel princeps vel inter principes Doctorum virorum haberetur. Poſt decurſa ſtudiorum ſpacia, Lutetiâ ad ædis ſuæ curam reuerſus multos Diuorum cineres ſecum reportauit, quibus pater ipſe Leopoldus cum publica ſacrorum ordinũ ſupplicatione venerabundus occurrit, & in templum deduxit, vbi in ara repoſitos ſanctiſſimè cuſtodiri præcepit. Nec non diu domi moratus, rurſus animum ad ſtudia, ſed diuina duntaxat retulit, & impleto ſapientiâ cæleſti pectore religioſæ ſimul vitæ deſideriũ hauſit, & cũ XV. lectiſſimis ſodalibus Morimundenſe Ciſtertienſiũ cœnobium ingreſſus * S. Bernardi leges

infra p. 165.

* *An. Benedicti.*

leges

leges ſecutus mox qui ad parendum alijs modeſtus venerat, ad imperandum cæteris præfectus Abbatis dignitatẽ admittere coactus eſt. Quod cum D. Leopoldus parens Othonis accepiſſet, Collegium quoque Canonicorum Neoburgi ad religioſam formam redegit, vt Diui Auguſtini Canonicorum diſciplinam profiterentur, quibus D. Hartmannus apud Brixentas poſtea Epiſcopum ſumma virum pietate & religione præfecit. Enimuerò cum interim Friſingæ Henricus Eberſtorfius antiſtes poſitâ Anno ciↄ c xxxvii. infulâ ad plures abijſſet, Anno ſequenti Otho ex ordine alter & vigeſimus ad Friſingenſem pontificatum prouectus eſt. De quo Radeuicus Friſingenſis Eccleſiæ Canonicus, qui cum Othone Epiſcopo familiariſſimè vixit, & ipſius juſſu cœptam de Friderico Ahenobarba hiſtoriam pertexuit, in hæc verba ſcribit:

obſerua annum aduerſus Hundium qui 58. ponit.

Anno ab incarnatione Domini ciↄ c lix. * *indictione VII. regnante Sereniſsimo Imperatore Friderico, anno imperij ejus tertio, regni quinto, memoratus antiſtes ab hac luce, Deo vocante, migrauit. Is primò velut cælitus & à Deo miſſus, cum eandem Eccleſiam reperiſſet omnibus ferè bonis deſtitutam diſtractas facultates, collapſa palatia, familiam attritam, religionis monaſteriorum nullam vel paruam memoriam, ope diuina tandem ipſam in eum locum reduxerat, vt clero religionem, familiæ libertatem, facultatibus copiam, ædificijs decorem ab hac luce ſubtractus reſtituiſſet ejúsque cura, labor, meritum circa ſedem & gentem ſuam perinde fuerat, ac ſi non tam inſtaurator, quàm fundator illius extitiſſet. Huic negotio præſtabat adminiculum & opem, tum genus viri, tum probitas, tum conuerſationis æſtimatio. Nempe Imperatorum Henrici IV. nepos; ſororius, quinti Henrici, Conradi regis frater vterinus, Friderici Imperatoris Auguſtiſsimi hujus, qui jam feliciter regnat, patruus: ex clariſsimo regni principe Leopaldo marchione patre, & matre Agnete, filia Henrici IV. Imperatoris pariter cum fratribus ſuis germanis Conrado Patauienſi Epiſcopo, Leopoldo Duce Bajoariæ, & Henrico Duce Auſtriæ, nec non & ſororibus Gertruda, Duciſſa Boëmiæ & Bertha Duciſſa Polonorum, ac Ita marchioniſſa de Monteferrato N. Imperatricis Hiſpaniæ genitrice: de tanta inquam, tamque illuſtri parentela proles* * ipſe *ipſa nobiliſsima traxit originem. Literali ſcientia non mediocriter aut vulgariter inſtructus, inter Epiſcopos Alemanniæ, vel primus, vel inter primos habebatur, in tantum, vt præter ſacræ paginæ cognitionem, cujus ſecretis & ſententiarum abditis præpollebat Philoſophicorum & Ariſtotelicorum librorum ſubtilitatem in topicis, analyticis atque elenchis ferè primus noſtris finibus apportauerit. Ob ea & aliarum multarum priuilegia gratiarum, fiducia quoque tam ſecularis prudentiæ, quàm eloquio fretus facundiſsimæ linguæ cum ſæpius in cauſis eccleſiæ coram regibus & principibus conſtantiſsimè ageret, & exinde ſibi gloria laudem, laus inuidiam,*

inuidiam, vt aſſolet non modicam peperiſſet, laqueos aduerſantium imperterritus declinauit, & obloquentium ora ſine læſione probè probus euaſit. Sane viuendi modum juxta Ciſtertienſis Ordinis religionem inſtituerat: ibique in monaſterio Morimundenſi primò Abbas eouſque probatus & electus inuentus eſt, vt merito ſibi diceretur, Amice aſcende ſuperius. *Epiſcopus factus tranſcurſo juuentutis feruore ac ſopito lubricæ ætatis incentiuo, oleum peccatoris declinans, & juſtitiam ſuam in conſpectu hominum & fauore facere paruipendens, Deo potiùs quem conſcientiæ & corda non fallunt, placere ſatagebat, attendens illud euangelicum:* Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. *Vnde factum eſt, vt ſi quid ex conuerſatione mundana puluerulentiæ contraxiſſet, in præſenti, lingua detrahentium, vt gladio acuto raderetur atque purgaretur: ſiquidem ſupradicto principe Friderico patruo ſuo in Italicam expeditionem iter agente, cum & ipſe ſicut neceſſarius & perutilis imperij negotijs ire debuiſſet, nutu diuino contigit ipſum iter detrectare, vt vir religioſus inter manus fratrum orantium potiùs, quàm inter ſtrepitum præliantium expirans dicere poſſet, Domine ſuſcipe me, vt cum fratribus meis ſim cum quibus &c. Benignè verò ab Imperatore dimiſſus, multis gemitibus commiſſam ſibi ſuæ benignitati commendauit eccleſiam, ac quodam ſpiritu prophetico de fine ſuo præſcius, ne poſt mortem ſuam, ipſam aliquo modo grauaret, & libertate electionis (vt jam ſæpius anteactis temporibus in alijs eccleſijs factum dicebatur) eam nullo modo priuaret, poſtulauit. Accepta de hac probabili petitione fideli laudamento, ad propria reuerſus eſt. At cum aliquibus de morte ſua, ſeu per viſiones, ſeu per ſomnia reuelatum fuiſſe, referentibus & commonentibus quibuſdam religioſis, cognouiſſet: ſalutatis, fraterna charitate media, quàm intimè fratribus, & vale dicto occaſione viſitandi Ciſtertienſe capitulum, viam carpit, & jam dudum languore ac debilitate corporis inualidus, laborioſo itinere, nihil tamen adhuc ſuis, qui ſecum erant, metuentibus, ad prænominatum Morimundenſe monaſterium peruenit. Ibi per aliquot dies lecto cubans, & jam de obitu ſuo nequaquam dubius, dum ſacro liquore olei, ſicut moris eſt, perunctus fuiſſet, & de pecunia ſua laudabili teſtamento ordinaſſet, inter cætera quæ ſollicitus de ſalute præuidebat, etiam hunc codicem manibus ſuis offerri præcepit, eúmque literatis & religioſis viris tradidit, vt ſi quid pro ſententia Magiſtri Gileberti (vt patet in prioribus) dixiſſe viſus eſſet, quod quempiam poſſet offendere, ad ipſorum arbitriũ corrigeretur, ſeq; catholicæ fidei aſſertorem, juxta ſanctæ Romanæ, imò & vniuerſalis eccleſiæ regulam profeſſus eſt. Deinde multa prius cordis contritione & humili confeſſione reatum ſuum recognoſcens, ſumptis ſacroſanctis myſterijs, in medio multitudinis ſanctorũ tã epiſcoporũ quam abbatum, Domino ſpiritũ reddidit. Felix vtiq; & pro meritis ſuis diuino munere donatus, vt antea raptus ſit,* Matth. 6.

Digitized by Google

quàm vnicam ſuam, dilectam ſuam, eccleſiam videlicet, cui ipſe ſpeciali & intimo amore connexus erat, in fauillam & cinerem conuerſam vidiſſet, & ſubuerſam. Cum autem adhuc viuens locum ſepulturæ ſuæ fratribus digito præmonſtraſſet, extra eccleſiam in loco humili, vbi ſcilicet ab omnibus fratribus calcari debuiſſet; huic ejus vltimæ voluntati obuiandum putabatur, & intra ſepta eccleſiæ juxta majus altare honorificè tumulatus eſt, ejúſque ſepulchrum à cunctis fratribus honore ac veneratione dignum habetur. Ego autem qui hujus operis principium, ejus ex ore adnotaui finémque ejuſdem juſſu principis perficiendum ſuſcepi, & manu mea ipſius extrema lumma clauſi, hoc Epitaphium compoſui, & tumulo ſeu ceno taphio ejus inſcribi feci.

Libram Phœbus ſubijt
Cum falcitenente,
Luci nox præualuit
Die decreſcente,
Vita minus habuit
Morte præualente,
Otto quando corruit
Raptus heu repentè.
Hic, ſi gradum conſulis,
Præſul dignitate,
Formam: decens, habilis
Iuuenis ætate,
Genus: alta nobilis
Regum majeſtate,
Mores: commendabilis
Mira probitate.
Monachum ſe præbuit;
Si religionem,
Ideas aſſeruit,
Si poſitionem,
Virgo, cujus meruit
Interceſſionem,
Ejus ad, quem genuit,
Agat mentionem.
Cujus frequens otium
In philoſophia,
Majus exercitium
In Theologia,
Fœdus ſibi mutuum
Cum philologia,

Nunc

Digitized by Google

Nunc ſit ei ſpeculum
Summa theoria.
Plangat hunc Germania
Planctu generali,
Magis tu Friſingia
Orba viro tali,
Cui tot priuilegia
Dono ſpeciali
Iugi querimonia
Debes lamentari.
Hujus in te ſtudio
Studium vigebat,
Grata diſceptatio
Plures acuebat,
Quid nos aut quid ratio
Nemo non videbat,
Fraus & cauillatio
Latens non latebat.
Hic ſacrum eccleſiæ
Sublimauit cultum,
Ipſe dedit ſtrepere
Logicum tumultum
Hoc in ejus cinere
Totum eſt ſepultum,
Talem nemo plangere
Poteſt ſatis multum.
Quis nunc tantam gratiam
Formis affirmabit?
Aut quis elegantiam
Dictis aſsignabit?
Quis ad conſequentiam
Tropos reuocabit?
Heu qualem ſententiam
Schola vento dabit?
Quid rerum compactio
Sagax dum rimatur
Matheſis abſtractio
Quid, dum contemplatur
Quid nihil priuatio,
Per hunc dum probatur

Quid ambarum actio
Morte ſcire datur.
Hujus necem patria
Iuſtè dedignata
Clara dolent atria
Rectore priuata
De ſe bene meritum
Cernens in fauilla
Iuit in interitum
Pariter & illa.
Tantas ad exequias
Turba populorum
Pias fundat lachrymas
Mæſtum ducens chorum
Ac preces continuas
Et lamenta, quorum
Illum ſaluet, animas
Qui beat juſtorum.

AMEN.

Hæc ego omnium certiſſima exiſtimo, quæ Radeuicus omnium rerum conſcius præſens vidit, & cum Othone familiariſſimè vixit, juſſúque illius poſtremos de Friderico Ahenobarbo libros ſcripſit, quem Arenbekius Abbreuiatorem & Notarium Othonis eique multùm familiarem extitiſſe affirmat. Ipſe verò cum ex Radeuico, quem Ragevvinum appellat, de Othone quæ poſui denarraſſet, addit hæc verba: *Cuius* Othonis *probatam vitam praceſſiſſe, mira qua ad ipſius ſepulchrum, vt fratres aſſerunt, miracula qua Deus operatur, teſtantur. Hic praclariſſimus pontifex duo monaſteria, Ord. Pramonſtrat. in ſua diœceſi fundauit, vnum dictum Schefftlarn Anno Chriſti* CIↃ C XL. *vbi olim fuit cœnobium Ordinis S. Benedicti, ſed per Hunnos, aut Arnoldum impium in deſertum omnino redactum: alterum prope Friſingam Noua Cella S. Petri Anno Domini* CIↃ C XLI. *XXII. anno ab inceptione ejusdem Ordinis; in cujus monaſterij capella S. Catharina, S. Marinus praſul & ſuus Capellanus Teclanus ſepulti requieſcunt, ad quorum tumbam altiſſimus miracula in dies operari non ceſſat. Inſuper anno Chriſti* CIↃ C XLI. *Collegium Canonicorum ſecularium S. Sixti in Slierſee fundauit: cui aduocatum nobilem quendam VValdeker prapoſuit. vbi ſimiliter quondam monaſterium ſub regula S. Benedicti floruit per quinque fratres conſtructum. Sed per Arnoldum Ducem eccleſiarum deſtructorem, & Hunnos ex integro deſolatum fuerat.*

De Ducib. Auſt. p. 30. v. vlt.

fuerat. Hic beatus Epiſcopus in ſua diœceſi multas eccleſias propria manu conſecrauit, inter quas baſilicam in Chemotenſ. * *filialem, parochialem in Vilshaim in honore S. Mariæ Magdalenæ dedicauit 1142.* *fort. Chiēmſee.

Quæ Arenbekius vel de conditis ab Othone Friſingenſi Epiſcopo, (qui paſſim in literis vocatur Magnus,) monaſterijs, vel inſtauratis narrat, apud Hundium etiam & Gevvoldum ſecundo & tertio vol. Metropol. Salisburgenſis cognoſces. *monaſt. Scheffti-lern.*

Anno 1147. cum Imperatore Conrado in expeditionem Hieroſolymitanam profectus vix mortem euaſit.

Ego aureæ coronidis loco Baronij elogium de Othone ſubſcribo & finio.

Moritur hoc anno CIↃ C LIX. *inſignis virtutibus & doctrina Otto Epiſcopus Friſingenſis, cujus cœptam hiſtoriam proſecutus eſt Radeuicus. Subduxit magna miſericordia Deus* virum ſanctum, *ne in ſenectute ſua ſchiſmaticorum communicatione infici poſſet, qui inhærebat Imperatori.*

Digitized by Google

ARNOLDVS PIVS

PRESBYTER E S. AVGVSTINI FAMILIA REICHERSPERGÆ.

CIↄ C LXVI. *Cal. Febr.* *Chron. Reicherſp ann. 1084. p. 146.* *Hund. metrop.* *Auent.* * Braunaw. a *In Laureaco Altmanni.* b *In chronograph.* c *Metrop.*

REichesſpergium nobile quondam & loci ingenio, & arte emunitum caſtrum inter Scherdingam & Brundunum * opida, quod tamen ad prius quàm poſterius propius accedit, propter Oenum juxta Obernpergam ſitum, ab Comitibus Reicherſpergenſibus VVernhero & Diethberga conjuge, Gebhardi Salisburgenſis pontificis ſorore, quàm è nobiliſſima Helfenſtainiorum ſtirpe Bruſchius a, Munſterus b, Hundius c ortam contendunt, poſſeſſum: hîc tamen hæret, vtrum Auentino hanc à Comitibus Plainis deriuanti ſubſcribat. Si inſignia MS. Salisburgenſ. contemplemur, Sueuorum Truchſeſſiorum potius agnoſces: monumenta vetera nomen familiæ non expediunt, ſed tantum alto Sueuorum ſanguine natam affirmant: vnde factum conijcio, imaginem ab recentioribus * huic appictam. Helfenſtainiorum ceras nemo neſcit elephanto inſignes. Sed hic Gebhardus & Thietberga, quocunque ſanguine procreati Reicherſpergium poſſederunt, & cum ſpe prolis jam extinctę planè carerent, cognatíq; hæreditati imminentes, litẽ adhuc VVernhero ſuperſtite de futura ejus poſſeſſione inter ſe mouerent, ille demolitus arcem, ſuperũ principi Michaëli templum poſuit, & S. Auguſtini familiam ad laudes Deo canendas ibi collocauit. In hoc ergo cœnobio duo ſimul illuſtria religionis, & Bojariæ ſidera fulſere Arnoldus presbyter & Gerhohus ſeu Gerochus ejuſd. contubernij præſes Arnoldo ſanguine junctus; Arnoldus prior deceſſit, de quo hic ſermo.

* *Dietbergam.*

Vide Vol. 2. Bau. S.

Etſi nec de natali Arnoldi ſolo, nec de pueritiæ incunabulis aut adoleſcentiæ ſtudijs quicquam in literas eſt relatum, tamen cum Gerhohi antiſtitis propinquus fuerit, íſque Pollinganus tradatur, non eſt vero abſimile, Arnoldum quoque non procul inde editum. Arnoldus rebus humanis & fugiẽtibus neglectis & contemtis Reicherſpergenſi ſe cœnobio addixit, vixítque inter Diui Aug. quos Canonicos appellant, ſectatores piè religioſè & quietè, quoad morte defungeretur: quæ memorabilis fuit, eóq; poſteris in memoriã redigenda, vti ſperandũ inde ſalutis reportẽt fructũ, cùm ex præjudicijs Arnoldi, aliorúmque, quid ſibi quiſque in morte timendum,

Digitized by Google



Tu ne cede malis, ſed contra audẽtior ito;
Ecce in te totam Styx Acheronta mouet.
Suppetias veniunt Superum tibi mille phalãges;
Quid trepidas? Ora cedere monſtra vides?

Ipſa Dei Mater pro te pia nūc adorat;
Et tua Nato offert anxia vota ſuo.
Viciſti, propera venienti plaudit Olympus:
Calcaſti ſpinas, carpe Beate roſas.

 timendum,

Digitized by Google

timendum, quid cuique agendum, vbi ad ſupremi dictatoris tribunal reus citabitur, recognoſcet. Ad ſeculorum enim temporúmque omnium & morum emendationem ſupremus judex hujuſmodi totius anteactæ vitæ cauſſas actionéſque tragicas voluit conſignari. Anno ſexto & ſexageſimo ad milleſimum centeſimum, hebdomade, qua ſalutaris in terram Numinis aduentus expectatur, extremâ, cœpit Arnoldus lentâ quidem illa ſed continente febri æſtuare, & in dies humore vitali deficiente, marceſcere, contabeſcere, & demum ad confinium mortis & vitæ properare, idque propridie Virginis in templo luſtratæ. Interea loci, domeſtici ſubinde pro vſu & more commilitonem ſuum officij cauſa adeuntes identidem rogitabant, ecquî haberet? valerétne, an omnino ſpes omnis valetudinis decollaſſet? Quibus æger quantumuis ardore febris exhauſtus læta ſemper & exporrecta fronte; Arnoldus, inquit, bene ſe habet, nihil dolet, nihil prope ſentit, quantumuis diuturnitate morbi fractus & confectus. Vt verè quidam de diuturnis & grauibus corporis morbis cecinerit:

Si longus, leuis eſt; ſi grauis ille, breuis.

Cibum raro capiebat, rariùs etiam petebat, vultum, quem valens floréuſque ſemper placidum, mitem, ſerenum, pacatum gerebat, mutata valetudine non mutauit. Pridie demum Calendas Februarias cum augente morbo, breui ſibi decedendum ſentiret, optarétque animam in ſinum omnium religioſorum matris & virginis, cujus vt dixi, celebritas luminum, jam pro foribus erat, effundere; vocatis omnibus in valetudinarium, vbi decumbebat patribus, ſacris omnibus ad iter æternitatis ingrediendum munitus, orabat ſingulos, vti nec ſibi in extrema jam imminente hora aduerſus tam exercitatum, impotentem, ſuperbum & atrocem hoſtem deeſſe vellent, ſibíque Deum, Dei matrem, omnéſque cælites, votis, precibus, lacrymis & ſacrificijs propitiarent. Dum hæc ille cogitat, omnéſque religioſi præſentes in ſuffragia procumbunt. Ecce tibi totum conclaue repente tota Acherontis completum legione inundatúmque conſpicit. Tum verò triſtia orci monſtra furcis & harpagonibus, quem ſtantem & valentem non ſunt auſa aggredi, ægrum corpore & viribus defectum proſtratúmque certatim inuadunt, & prædam ſecum in exitium trahere inferni harpages conantur. Hîc ille lumina primum pandere, metu pauere, totíſque artubus contremiſcere. Mox quanta potuit voce clamitare, En ingentes ſtygiarum laruarum copias,

quas domicilium vix capit. Non videtis, inquit, infeſta Orci portenta? hi ſunt perduelles illi juratíque numinis & hominis hoſtes, cælo dudum proſcripti, pulſi, & ſempiternis inferorum ſupplicijs addicti: agite pugnemus in hoſtes. móxque arrepta Chriſti de cruce pendentis imagine irruentibus feris velut clypeum obijcit, & quà impetum faciebant obuertit, identidem eadem ſe conſignans muniénſque, móxque velut in ora hoſtium eandem impingere, vímque defendere, & importunarum belluarum impetum retundere. Stipabat lectum jacentis corona patrum, metu attonita, & tantum non exanimata, quantúmque pſalmis, votis, & lacrymis potuit prælianteem adjuuabat.

Arnoldus cohortibus inferorum paululum auerſis, ſignum ſalutare nunc exoſculando, nunc venerando, nunc ſeipſum conſignando, En, inquit, vt lucifugæ iſtæ vlulæ, & menſtroſæ noctuę ſacroſanctæ crucis radios auerſantur, quam nunquam contrà intueri ſuſtinent? vt diuinum, quo ſtrati victíque ſunt ſignum fugitant. pronunciate, commilitones mei, pronunciate domini precationem. patrem cæleſtem in auxilium vocate; religionis noſtræ ſymbolum recitate: Deum vnum profiteamur Deíque filium cum ſanctiſſimo ſpiritu ab vtroque procedente adoremus. Nihil iſti nocturni lemures magis horrent, nihil magis eoſdem percellit & terret. præſentem Virginis Mariæ Dei matris opem implorate. ipſa mihi natum placabit; ipſa veniam orabit & impetrabit. Vbi ſunt mei contubernales? non plures adſunt? vbi ſacræ dicatæque Deo virgines? ingenti mihi turba patronorum opus eſt. Vt fulgent apoſtolorum vultus? quos vt accenſa per noctem in cælo ſidera conſpexi. Sed vos obſecro, qui me circumſtatis redite ad Mariam. Maria columen & præſidium meum, iratum mihi numen flectet, filium conciliabit; illa mihi aditum ad gratiam parabit, adeóque in gratiam apud natum ſuum reponet.

Inſtiterunt deinde præſentes, omnium cœlitum ordines precibus adire, cœperúntque ex Litaniarum formula à Chriſto domino ſanctiſſimáque triade ad Mariam deſcendere, cùm ille luctator ſubitò exclamat. Redite ad Mariam, térque quatérque iterate Mariam. Iam enim ad ſupremi dictatoris tribunal cauſſam dicebat. Stabant hinc, vt Arnoldus affirmabat, delectæ cælitum turmæ; illinc execrabiles calumniatorum ex Orco emerſi greges. atrociter accuſabant hi, conſtanter propugnabant illi. ſæpe res in lubrico verſari, & reus conſcientia factorum teneri,

conſtringi,

Digitized by Google

conſtringi, & in arctum cogi videbatur. Lachanizabat interim miſer, & in vltima vitæ linea ſtabat, ægréque ſpiritum reciprocabat, cum vrgetur ſimul cogitúrque ad objecta reſpondere, ſimúlque cum morbo & morte luctari, quæ ſingula per ſe ſatis ad debilitandum frangendúmque reum valere poterant: non abjecit tamen clypeum & haſtam fortis luctator. & quamuis omnem ſalutis ſpem in cælo ſitam haberet, ſoláque numinis clementia & Virginis patrocinio niteretur, reſponſabat tamen inſtantibus, &, Accuſate, inquit, modò criminatores, accuſate, habetis confitentem reum, ſed jam diu pœnitentem. Verſus inde ad Mariam, Si verbum, inquit, dixerit Maria, ſaluus & beatus ero. ô ſi mihi fiat ſecundum verbum ejus. tum rurſus inſilientem in ſe hoſtem ſigno cæleſti, graſſatorem, furem, latronem vocitando fortiſſimè repulit. Iam diſpulſis noctis tenebris & tenebrionibus, aurora appetebat, cùm Arnoldus aſſiduè in celebranda Virgine occupatus, tandem lætior cum regio propheta exclamat, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus.* tum intento in circumſtantes vultu, digitóque in Chriſtum cruci affixum, Ecce, inquit, hic ſalus, hic redemptio noſtra. Et mox; ô virtutem, ait, obedientiæ! quæ maximam noxiarum ejus partem haud dubiè deleuit, cum nihil in religioſa vita tantam apud Deum vim & auctoritatem habeat, quàm paratum ad omnia majorum imperata obſequium, quod magnas ſubinde parenti creat difficultates, quibus ſuperatis meritò victor lætum poſt victoriam triumphum agit. Arnoldus inde cœleſtium gaudiorum viſo exhilaratus, O quantam, inquit, & non comprehendendam mortalibus, inexplicabilémque cælitum ſpectaui gloriam; apage cum mortalium omnium gaudijs, offucijs & inanijs.

Poſtremò velut è grauiſſimi certaminis lucta reſpirans; Maria, inquit, ſoſpitatrix mea, veniam mihi ſalutémque impetrauit. denique quaſi vocantem ſe inuitantémque ad cælum ſequi conaretur, Venio, inquit, venio, & omnibus corporis connixus viribus, cùm fracti & exhauſti diuturno morbo artus conanti non reſponderent, Eheu non poſſum exclamat, non poſſum mouere extra tectum aut lectum, pedem, & cum dicto recidit in tergum, quieuítque & quò non potuit vocantem ſequi corpore, mox orto Sole præeuntem, edito ſpiritu, ſecutus eſt animo in cælum.

Sic, inquit Scriptor vetus, &, vt videtur, ſpectator admirandæ hujus cataſtrophæ, *ſic non amiſimus hunc bonæ memoriæ presbyterum, ſed præ-*

Digitized by Google

ſed præmiſimus. Ituri enim ſumus & nos, & princeps hujus mundi, niſi Deus auertat, venturus eſt ad nos. nam & hic presbyter in agonia ſua non omiſit dicere, quod hoſtes maligni ad nos quoque eſſent venturi. nec mirum; nam & dominus de ſe dixit, Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Præſtet ipſe dominus, vt ſi ad nos quoque idem malignus veniat, nihil ſuum in nobis inueniat. Quod vt fiat, ſicut monet dominus, Vigilemus & oremus, ne intremus in tentationem.

Digitized by Google

HAINRICVS
AD EISTADIVM.

LAudat hunc virum Hainricus Rebdorfius à vitæ morúmque ſanctitate his verbis: *Eodem anno* cIↄ ccc xlvi. *II. Cal. Auguſt. obijt frater Hainricus filius Geutæ fundator domûs leproſorum extra muros Eiſtetenſes, vir ſanctæ vitæ & memoriæ recolendæ in eadem domo ſepultus.* Nec alia memini de hoc legere, ſed hæc ipſa prætereunda non fuere, donec plura offerantur.

cIↄ ccc xlvi.
Rebd p. 42.
pridie Cal. Aug.

Digitized by Google

MAGDALENA RATTENBVRGICA ET ALIÆ RELIGIOSÆ VIDVÆ ET VIRGINES E TERTIA S. FRANCISCI FAMILIA MONACHII QVAS TERTIARIAS APPELLANT.

Anno Chr. 1534. & ſeq.

SVnt hic in regia Bojorum complura ſacrarum virginum viduarúmq, contubernia S. Franciſco omnia initiata; vnum apud S. Iacobum de ſeueriore diſciplina, quod ad S. Claræ formulam, (vt hodie appellant) vitam exigit, duo reliqua haud procul ab æde S. Franciſci paullò laxiori viuendi rationi adſueta, nec enim omnium valetudo, vel ætas illam ſeueritatem S. Claræ admittit: & illic virginum duntaxat flos cuſtoditur, hîc præter virgines etiam viduarum orbitas degendi locum inuenit. *Tertiarias* appellant è tertia nempe & liberiore viuendi lege, & claſſe nomen adeptas. alterum, de quo ſupra in Kunegunde memini dicere, Pütrichianum, alterum Ridlerianum à primis conditoribus patricijs Monacenſibus appellatum; Floret vtrumque hodie, & in hoc etiam Sereniſſimi Bojorum principis piæ mem. Ferdinandi, Guilelmi quondam germani, filia Maria Maximiliana ſacro velo nupta Chriſto cæleſti ſponſo ſe addixit, cujus ſoror Maria Magdalena (nunc mutato nomine Antonia) apud S. Claræ ſodales ſe incluſit, nuper mortua.

Monachienſibus

In hac Ridleriana domo præterito ſeculo aliquot viduæ conjugij vinculis expeditæ ſingularem ex virtute laudem meruere, noménque ſanctitatis & famam apud ſodales non vulgarem ſunt conſecutæ; inter quas Magdalena * Rottenburgo opido oriunda (quamuis Rattenburg in ſcripto ſit expreſſum) poſt inferias viro ſolutas, voti rea Tuntenhuſium petijt, quod in prima Bojaria reginæ cæli virginis & matris Dei religione miraculis, & fama templum eſt inclitum. Sed Monachium, quà via ducebat, erat transeundum. Ingreſſa vrbem pia fœmina ſine duce, hoſpita prorſus & peregrina. O ſi, inquit, ſe mihi offerat hoſpitium à contubernio virorum ſejunctum, vbi ſecura extra tumultum hanc noctē exigam. vix ea precanti offert ſe puer ſeptennis, ſummum octennis,

** Raittenberg*

vt ex

MAGDALENA RATTENBVRGICA.



O ſanctum ſortita viæ ſociumq; ducémque:
Læta fores mater, quas iubet ille, feri.
Ad certum ducit te portũ crede ſalutis,
Ex quo cælestes ingrediere tholos.

Virginei ſunt hic thalami, viduæq; ſodales:
Regnat in his Natus Virginis ipſe Deus.
Perge, fores pulta, donec pandatur Olympus:
Cælum est in terris, relligioſa domus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

vt ex vultu conjectabat, forma pręter morem ſpectabili & eleganti, quem percontata mulier, ſciretne domum quampiam in vrbe, aut diuerſorium ab virorum conſortio liberum & quietum? imò verò, inquit puer, me ſequere; rectáque ad ſacram hanc Franciſci familiam contendit, & tracto ad portam cymbalo; hîc, inquit, nemo vir colit: religioſarum fæminarum eſt domicilium. Illa gratijs dictis, dum puero aſſem in menytrum è zona extrahit, ille repente ſe matronæ oculis ſubducit. quem mulier luminibus circumquaque per omnem viam conjectis, cum fruſtra quæreret, plateam omnem obit, & miratur momento temporis, ducem ſuum elabi ſibi potuiſſe, ſeróq; demũ cognouit è Raphaelis ſorte comitem fuiſſe. Interim atrienſis adeſt, portáque aperta quærit ex peregrina, quid adſit? ducta ſum, inquit, huc peregrina à puero quem inter manus ſubductum amiſi. Ille mihi ſollicitæ quo loco pernoctarem, hîc degere fæminas ab virorum conſortio ſejunctas narrauit. Hoſpitium peto, ſi quis locus eſt hoſpitæ ſupplici, & omnium hîc viarum locorúmque ignaræ. Renunciauit antiſtitæ (quæ id temporis Veronica Donauerina audiebat) janitrix, ſtare pro foribus fæminam admodum honeſtam, & hoſpitale beneficium quietis capiendæ petere. Accubuerat jam ad cœnam ſacra familia & admiſſa hoſpita, ſimul juſſa eſt & ipſa ad menſam communem aſſidere. Valde mouit piam fœminam ſacrarum virginum verecunda religioſáque modeſtia, pietas, religio. & cum cœnatæ remotis menſis in colloquium veniſſent, intellexiſſétque peregrina viduis quoque in eo cœnobio locum eſſe, O ſi, inquit, tam beata ſim, vt inter vos omnem reliquam vitam meam exigere, & ſpiritum demum ponere poſſim; vnica mihi res in præſens obſtat, quo minus exequi vota extemplo queam. Eſt mihi domi vnica cum nepte filia, hæc ſi ex peregrinatione non redirem, ex luctu in mortem abiret. Profecta poſtridie Magdalena votíque Tuntenhuſij damnata, ſalua domum redijt, ſaluáque omnia domi offendit: Nec ita multò pòſt miſſo huc nuncio, per literas docet præſidem cœnobij, filiam ſibi, maximum religionis obicem, morte ereptam, reſtare neptem ex illa prope infantem, cui ſi prouiſum eſſet, illico ſe claris Dei ſignificationibus edoctam ad crucem Dei euolaturam. Neque hîc multum temporis interceſſit, cum & neptis, ſeu mortua, ſeu genero & cognatis educanda commiſſa (nihil enim ſignatè exprimitur) tum demum omnibus exſoluta rerum humanarum curis, Monachium properauit, omnémque rem familiarem ſecum aſportauit. Proſecutus eſt abe-

untem gener, & adduco vobis, inquit lacrymabundus, ſocrum meam, non nunc primum religioni initiandam: ita quippe vixit ſemper, vt nihil à veſtris moribus alienum fecerit vnquam, nam & virgo olim, & poſtea conjunx, & demum vidua, tam ſanctè religioſeque ſe geſſit, vt jam pridem in mundo extra mundum adeóque in medijs hominum turbis extra turbas quieta tranquilláq; vitam religioſam ageret. Omnem meam hîc felicitatem, opes, fortunas, apud vos condo, nihil mihi defuit, cum illa mihi adfuit, nunc votis illius & precibus adjuuandus ſum. Sic cum magna vi lachrymarum ſalutatam apud virgines reliquit. Quæ paucis pòſt diebus velo nupta, cæleſti ſe ſponſo probare cœpit, ac religionis tirocinium eſt ingreſſa. Aes omne permiſſu religioſæ magiſtræ in ægras ſodales & cœnobij vſum, quamdiu quidem in experimentis fuit, expendit. Vbi tirocinium poſuit, tum verò vehementer indoluit, quando abdicatis omnibus nihil erat, quod laborantibus ægris, adeóque ſæpe eſurientibus largiretur. Erat enim id loci magna familiæ tenuitas, cenſus exigui, victus non ſobrius tantum, ſed vix etiam ad tolerandam vitam ſufficiens Sed quo domus erat ab re familiari pauperior, hoc virtutibus & cæleſtibus bonis (vti ferè in omnibus religionibus fieri amat) auctior & locupletior. Nihil habentibus nihil deerat; quo plus ſæpe habetur, hoc plus appetitur; omnia poſſidentibus plerunque nihil ſufficit. Ipſa porro Chriſto initiata, quod ipſi & matri ejus gratiſſimum ſciebat, in ſe exprimere ſtudebat. Culinam ingreſſa omnia infima mediaſtinæ famulę miniſteria ſumma cum animi ſubmiſſione expleuit, quæ minimę tirunculæ facere cõſueuerunt, verrere pauimentũ, fricare ollas, abſtergere ſartagines, patinas eluere, ſordes purgare, & omne inſtrumentum coquinarium in ſplendorem dare, focum inflare, coquitare, denique non, honoratam olim ſe matrem familiæ meminiſſe, nec domum vt heram rexiſſe, ſed vltimæ ancillæ perſonam ſumere, partes infimas agere, & humillima quæque & abjectiſſima velut purgamentum domus exequi & obire. Quæ modeſtiæ, ſedulitatis & demiſſionis documenta permouerunt ſororum animos, vti communi conſilio illam altioribus officijs admouerent, reiq; domeſticæ adminiſtrationem committerent; quod munus proximè ab ipſius antiſtitæ dignitate abeſt. Hîc illa in œconomia reique familiari tractanda valde occupata, quod & officium inuita ſuſcepiſſet, & de religioſa quiete ſibi ſubducta valde doleret; adeòne, inquit, omnem mihi deſideratæ quietis gratiam negatis, vel potius inuidetis, vti vix vn-

quam

Digitized by Google

quam votis precibúſque vacare poſſim? Enimuero quod ipſi per diem negotia eripiebant, hoc noctu rerum diuinarum ſtudio compenſabat, cum & interdiu, vbi de curis domeſticis otiolum ſuffurari poterat, cæli minimè oblita Deo pectus implebat, & ſe totam numini infundebat, imò numen ſe illi. Sæpe enim rerum cœleſtium cogitationibus immerſa repente diuino ſpiritu hauſta à ſenſibus abibat & Deo plena, nihil rerũ mortalium animaduertebat, & velut jam immortalis exſenſa, nec inclamata reſpondebat, nec aurium vſu, nec luminum, tactionis, odorationis, ſaporisue ſenſu vtebatur, mouebatúrque, quod experimento ſæpius ſodales tentarunt. Vbi ad ſe redibat, præter morem exhilarata, perinde tamen ſe gerebat, atque ſi nihil illi præter conſuetudinem accidiſſet. Fuit cum ipſo die, quo generis humani liberatoris Chriſti cum triumpho reditus ad cælum feſta memoria colitur, poſt decantatos ad horam nonam in odéo pſalmos præſentibus omnibus domeſticis & apprecantibus, & ipſa humi in modum crucis abjecta, ſe Chriſto cælum conſcendenti commendaret, & ſpectantibus obſtupeſcentibúſque cunctis velut ſponſum in cælum ſecutura, de terra, nulla ope humana, altius ſeſquipedem leuaretur, penduláque diu ſublimis in aëre hæreret. Forte locum Suſanna miniſtra extra contubernij clauſtra viuere conſueta, tranſijt, & attonita inuſitato ſpectaculo cum in aëre ſine adminiculo cerneret ſuſpenſam, maxima, qua potuit voce exclamauit, Ieſu bone, quid hoc, quid hoc Ieſu bone. Sed cum ſacræ virgines, nam omnes erant præſentes, vociferantem reprimerent, illa miraculo magis incitata identidem clamitabat, domina Magdalena, eia Soror Magdalena, quid hoc rei? quid objectum factúmue tibi? quid viuis, agis, an in cælum hodie cum Chriſto euolare conaris? Interim ſancta Matrona placidè humi depoſita mentem animúmque apud ſuperos haud dubiè verſatum recepit, ſurrexítq;, nec vllam extaſeos, aut factæ rei ſignificationem dedit. Silentium etiam Suſannæ indixere reliquæ, grauiter interminantes ſi quid efferret, aut ipſam ea de re percontaretur. Nam multa ſæpe id genus alia illi vſu venere, de quibus nemo ex illa quærere (tanta reuerentia illius apud omnes & omnium verecundia fuit) quid ſenſiſſet vidiſſétue, vel paſſa eſſet, ſuſtinuit. Venit hoc nomine etiam in principum & optimatum venerationem, qui illam ob ſingularem virtutis, & ſanctitatis opinionem coluere, totíque virginum contubernio illius cauſſa ſæpius benignè fecere. Ita beneficio vnius hujus optimæ & religioſiſſimæ matronæ bene habuere

Digitized by Google

omnes, & virtutis fructus in totum cœnobium redundaret. Ipſa demum adoream laborum, & laureolam religionis anno poſt virgineum partum 1534. ſanctè piéq; defuncta, adepta eſt, quam omnes, vtinam pari conatu, affectamus.

Secuta eſt hujus exemplum Martha Pretſchleifferin, fæmina equeſtri loco nata, de cujus religione etſi nec pauca nec indigna referri poſſent, quia tamen recentior eſt horum & illius memoria, expectandum putaui, dum facta ætas comprobaret. De liberis tamen ejus geminis, quos ſecum huc in parthenonem deduxit, placet nonnihil dicere. Geminæ erant virgunculæ in matris gremio ſanctè innocentérque eductæ, quæ miris ſe modis mutuò dilexerunt, quibus religioſiſſima parens non alios thalamos quam Chriſti ambibat, vt ſequerentur agnum quocunque tenderet. Videre erat incoram inter ſodales, quaſi geminos cęlites, cum teneras virgines contemplarentur, quarum virtus vnica erat, neſciſſe vitium, cælum laudibus implere, aſſiduò enim precabantur. Deprehenſa eſt vna loco non conueniente vota precum Deo perſoluere, cúmque ſuper ea re ab altera reprehenderetur: atqui, inquit, regius pſaltes hoc præcipit cum canit, Benedicite omnia opera ejus in omnī loco dominationis ejus. Pſal. 111. verſ. 22. Et firmat regis ſententiam Paulus, qui *Volo*, inquit, ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, vbi & mulieres ſubjungit. 1. ad Timoth. 2. v. 8. Apud Climacum religioſiſſimus vir in ſella adeo familiari non dubitauit caſtis precibus Deum adire, rogatúſque cauſam, in loco inquit, immundo Deum veneratus ſum, vt me ab immundis cogitationum phantaſmatis emundaret. Gradu 15. de caſtitat.

Ambæ dein vix infantiam egreſſæ deceſſerunt, raptæ nempe ſunt, ne integerrimas animulas vel modica labes inquinaret. Minor, ad ſponſum cœleſtem proficiſcentem rogauit majorem, vti ſibi quoque celerem ad cælum commeatum impetraret; nec falſa ſpe, quarta poſt hebdomade ſororem eſt ſecuta. Ambæ paullò ante obitum votis ſolennibus religioni ſe Deóque auctorarant: quarum fata mater conſtantiſſimo animo tulit, gauiſa potius quam triſtata, quod geminas columbulas præ ſe miſſas in holocauſtum Deo obtuliſſet.

Erat in eodem parthenone Virginum Barbara Hagenauerina, quæ ſodalium poſtea maxima, religioſiſſimam vitam egit totámque ſe in vulnera, & crucem ſponſi ſui immerſit, Chriſti patientis tormenta ſtans & ſedens, vigilans ac dormiens in templo & cubiculo ſecum animo aſſiduè pertractabat, mente frequenter à

ſenſibus

ſenſibus auocata in cælo degebat, diuinis illuſtrationibus crebris dignata, quicquid à Chriſto delicijs ac theſauro ſuo petebat, vt olim S. Dominicus, impetrabat.

Inciderat magna olim terræ ſiccitas, & vapor ſolis regionem torrebat, ſata vrebat, paſcua arebant, armenta pabuli inopia laborabant, & periculum erat, ne populus magnam rei familiaris pecoris, & victus jacturam faceret; fatigabatur cælum precibus, ad omnia propè templa ſupplicabatur, aliáque ad mitigandum cælum & pluuiam extorquendam paſſim fiebant. parum tamen proficiebatur. Barbara ſuppetias inopiæ venit, & cælum lachrymis in aquas ſoluit. Nam ſecundum matutinas laudes ad chorum in preces fuſa, cùm prolixa apprecatione Deum propitiaſſet, ſurrexit, & accerſitam ex virginibus ſacris juniorem Barbaram Iuuginam miſit ſpectatum, an cælum in nubes coiſſet & humorem promitteret. Renunciat illa nihil toto cælo nubis apparere, ſidera paſſim ridere & fulgere, tum & ipſa ridens in vota redijt: necdum omnino odeum attigerat cum aër nubibus obductus, & in aquam ſolutus largiſſimo & optatiſſimo imbre omnem agrum Monacenſem plaudente populo Deúmq; laudibus certatim onerante irrigauit.

IOANNES IVSTVS

LANDSPERGIVS E B. BRVNONIS FAMILIA RELIGIOSVS.

CIↃ IↃ XXXIX. III. Id. Sextil. *Ex vita tom. 3. concionum præfixa & ejus ſcriptis.*

* *Lechum*

LAndſperga opidum eſt primæ Boiariæ in Vindelicia ad * Lycum in monte ſitum, vbi hodie Societas Ieſu tirones ſuos ad religionem inſtituit, inter Auguſtam Vindel. & Schongauium medio juſtè interuallo, ſic vt Auguſtam ad ſeptentrionem, Schongauiam ad Meridiem reſpiciat. Hic non exiguam & opidi decus, & Bojariæ lumen extitit Ioannes Iuſtus à patria Landſpergius appellatus, quod illi cognomen ſemper adhæſit. Parentum nomina expreſſit nemo, ſub primam adoleſcentiam ad capiendum ingenij cultum Coloniam agrippinam profectus, cum omne humanæ ſapientiæ ſpacium decurriſſet, magnóſque in philoſophandi diſciplina progreſſus feciſſet, & ingenium optimis literis excultum, & pectus ſcientiæ theſauris plenum in ipſo flore juuentutis, ne quid de illo hoſtis virtutis decerperet, Deo auctori à quo illud acceperat gratus piúsque redhibuit, ſeſéque totum cælo conſecrauit, B. Brunonis Carthuſianorum parentis inſtituta ſecutus. In quorum patrum diſciplina quantum promorit ipſum vitæ auctorem teſtem audiamus: *Vt carnem*, inquit, *ſpiritui repugnantem domaret, corpuſculum ſuum jejunijs, vigilijs, flagellis, cilicijs & alijs pænitentiæ laboribus aßiduè macerabat. Aliquandiu etiam loricam ferream ſuper nudam carnem circa renes occultè portauit. Acibis delicatis, à verbis ſuperfluis, ocioſis ſiue nociuis ſeipſum ſummo ſtudio temperabat. Vnde quilibet facile colligere poteſt, quanto nitore puritatis mens ejus fulſerit intus, qui carnis ſenſuúmque ſuorum tam ſtrenuus caſtigator extitit foris: quoniam abſq; huiuſmodi caſtigatione, quiſquis ſe puritatem mentis & corporis adipiſci putat ſeipsũ miſerè decipit, vmbram ſequens & aerem verberans. Obedientiam ſuperioribus ſuis tam in grauibus, quam in leuibus rebus adeò ſimpliciter, & absque vlla diſcußione, & ſine murmuratione quacunque exhibebat, vt omnes id ſummè mirarentur. Cujus rei gratia cum in officio Prioratus domus Cantauij prope Iuliacum (quod ex ſola obedientia ſuſceperat) propter loci humiditatem ſuæ naturæ prorſus contrariam, ex vomitu ſanguinis ſæpius vſque ad mortem ægrotaret, nunquam tamen importunè à ſuperioribus ſuis exegit ad ſalubriorem locum, licet id maximè deſideraret, remitti. Vnde paullò ante obitum*

ſuum

ſuum pro informatione cujuſdam fratris grauiter teſtabatur ſe in ordine contra ſuperiorum ſuorum voluntatem, nec vno verbo ſcienter vnquam feciſſe. Quapropter tantam cordi, & verbis ejus Deus infudit gratiam & ſapientiam, vt non ſolum fratres, ſed & principes quoque, & magnates terræ eum requirentes, monita ſalutis cum magna auiditate, & reuerentia ab eo audirent, ipſum vt Dei amicum ſeu potius Deum in ipſo loquentem, honorarent. Et quia in operibus bonis in Domo Dei ſeruum ſe fidelem & prudentem exhibebat, miſericors Dominus ipſum pro incremento ſalutis ſuæ calculo, phtiſi, tuſsi violenta nimium, vomitu ſanguinis, & neſcio quibus alijs grauibus & diuturnis languoribus velut aurum in igne in hoc ſeculo (quod orare ſubinde, quemadmodum etiam in ſcriptis ejus reperimus, ſolebat) à peccatis ſuis plenè (vt ſperamus) purgare dignatus eſt. Nam mirabili patientia ſuſtinebat pœnas omnes & dolores, quibus ſupra modum præſertim circa finem vitæ ſuæ, vexabatur, adeo vt intuentes ſtuperent, dicerentque ipſum ſupernaturaliter in vita ſeruari. Quod nemini mirum videatur, cùm à medicis ſæpe deſperatus, & morti adjudicatus ſit, eo quid hepar & pulmo læſa & corrupta multis annis, contra eorum ſententiam valetudinarius ſuperuixerit. Adeo quoque patientiſsimo hæc aliáque complura animo ferebat, vt nunquam vnum impatientiæ verbulum ab ejus ore proceſſerit. Et quando aliqui religioſi, ſeu etiam ſeculares & magnates ipſum viſitarent, eúmque percunctarentur, qui-nam haberet? ſemper reſpondit, vel bene ſe habere, vel cum D. Iob: Sicut Domino placet: Sit nomen Domini benedictum. *Sæpius tæduit eum diutiùs viuere propter nimios exceſsiuóſque dolores, cupiebátque diſſolui & eſſe cum Chriſto, maximè propter grauiſsimam Eccleſiæ Catholicæ ruinam, animarúmque damnationem ſanguineis lachrymis merito deflendam, quas paſsim abſque modo & fræno per libros Eraſmi, Lutheri, & aliorum ordinis ſui deſertorum (quos à Deo dicebat datos in reprobum ſenſum) videbat corruptas ad infernum currere, cum talibus pſeudodoctoribus excæcatus hodie credat mundus. A quorum lectione ipſe penitus abſtinebat, abſtinendúmque omnimodis monebat, tum quia parum bonæ frugis habeant, tum quia abſque aliquo periculo vel contagio vix legi queant, cum ſermo eorum vt cancer ſerpat: tum etiam quod non modo omnis doctrina, ſed etiam omnes libri ipſorum prohibiti & damnati eſſent. Qua etiam re permotus, vt erat mirè amans & ſitiens ſalutis animarum, multa ſubinde edidit ſcripta, nihil niſi pietatem, ſanam fidem, eximium in Deum proximóſque amorem ſpirantia, vt pro ſua virili parte quoad ejus fieri poſſet, jam euerſos & corruptos ab errore & nexibus diaboli, quibus videbat innumeros tam tenaciter obligatos, clauſis oculis in flammas tartareas properare, extraheret, nutantes ac titubantes firmaret, ſtantes corroboraret, tepidos accenderet, conantes iuuaret, imperitos inſtrueret, currentibus calcar adderet, Deo ſeruire cupientibus tanquam probè exercitatus, & peritus dux re-*

gium

gium monſtraret iter, denique nemini non aliquam adferret vtilitatem. Quod ſanè Deo fauente, & ſcriptis ejus gratiam haud vulgarem aſpirante cecidit illi non infeliciter, tantúmque in Dei Eccleſia fructum fecit, vt inter Eccleſiaſticos Doctores non poſtremo ſit loco numerandus. Et quia contemni ſolent ij, qui quod docent, ipſi non præſtant, ſeipſum ſtuduit virtutum omnium tanquam viuum quoddam ſimulachrum exhibere, nihilque in ſe admittere, quod doctrinæ illius repugnaret, aut pondus detraheret. Ita fiebat, vt quicquid diceret aut ſcriberet plurimum haberet energiæ, & auctoritatis etiam apud magnos & eruditos viros, qui in illo certis indicijs ſpiritum Chriſti habitantem, & per os ejus tanquam organum ſua verba exprimentem, animaduertentes tum dictis, tum ſcriptis illius ſæpe non mediocriter permouebantur. Erat ſane in tota illius viuendi ratione nimius candor, columbina ſimplicitas, cum prudentia multiplici conjuncta, Chriſtiana integritas, promta erga quoſuis beneuolentia, propenſa benignitas, ſuauis nec tamen diſſoluta affabilitas, odium peccati juſtitiæ amor, contemptus mundi, & rerum terrenarum, paupertatis ingens ſtudium, Charitas flagrantiſſima. Quis ad illum vnquam acceſſit, qui non ſenſerit illius ſe exhortationibus adjutum? Quis illius familiari vſus colloquio non aliquid lucri reportauit? Nec ſolum erga fratres ſuos promtiſſima alacritate talem ſe geſſit, ſed etiam erga extraneos & ignotos.

Euangelicum præſtare virum reipſa ſemper ſtuduit: non ſolum ore evangelium, vt multi hodie ſolent, circumferre. Execrabatur plurimum impios dogmatiſtas noſtrorum temporum, quod cum tota vita ab Euangelij deſcripto diſcrepent, tamen ſe jactent Euangelicos, & à Deo illuminatos, & videri velint: quorum illi impudens temeritas, & veſana impudentia ſummè erat inuiſa ſemper, ita tamen, vt illorum doleret vicem, ploraréetque cæcitatem & amentiam, qua tum ſeipſos, tum alios complures in æternas conijcerent miſerias & calamitates, licet id ipſi nullius penſi habeant ob vaſtiſſimas cordis tenebras, & præfractam animi obſtinationem.

Sæpe in lucubrationibus ſuis eorum reprehendit, & confutauit errores non alio ſanè conſilio, quàm vt ijs agnitis reſipiſcerent, aut certè alij eiſdem non implicarentur. Eſt enim hoc commune ſanctis Dei hominibus, vt cupiant ac nitantur diabolica fraude deceptos eripere, & ad veram ſalutem reuocare. Non enim ferre poſſunt animarum pericula, quibus multò magis, quàm proprij corporis incommodis cruciantur. Sed & ipſa Dei omnipotentis multiplex injuria quam accipit ex peccatis hominum, ſupra modum illos cruciat, ob ingentem erga illum amorem, qui facit, vt etiam minima in ſeipſis peccata non ſinant inulta abire. Poſſemus adhuc multa in hujus venerandi patris commendationem plena fide ſcribere, ſed quia ex ſcriptis ille ſuis abundè cuiuis manifeſtus eſt, longam texere hiſtoriam ſuperfluum judicamus. Feliciter vixit, & felicem vitam obitus felix conſecutus eſt. Non potuit mala perire morte, qui etiam

cùm

cùm viueret, ita vixit tanquam propediem moriturus. Non neceſſe habuit mortis timere inſidias, qui nihil in ſe reſidere patiebatur, quod poſſet mortis terrorem incutere. Dum vixit omne peccatum & quicquid in morte prægrauare poſſet diligentiſſimè à ſe profligare conatus eſt, vt morte aduentante, non tum demum quod multi ſtolidiſſimè faciunt, ad mortem ſeſe præpararet, ſed ipſam mortem tanquam vitæ aditum lætiſſimus exciperet. Et certè vnum illum ex eorum fuiſſe numero minimè dubitamus, qui vitam in patientia, & mortem habent in deſiderio. Quid enim illum delectaret viuere, qui, vt jam ante diximus, tam varijs cruciabatur morbis, vt mortuo quam viuenti eſſet ſimilior? Ergo indeſinenter ſuſpirabat ad mortem, vt poſſet venire ad conſpectum gloriæ Dei. Et quamuis aliquandiu dilatus fuerit, nec pro voto exauditus, tandem tamen poſt multos fideles labores & patientiæ coronas, fructúmque animarum, quem in Eccleſia Dei & Ordine Carthuſiano verbo, calamo, & exemplo tulit vberrimum, ſacramentis eccleſiaſticis religioſè munitus, & omnia ſua errata aliquoties ſcrupuloſè ac piè confeſſus, bene compos mentis, poſtquam in ſancto ordine Carthuſianorum annos XXX. laudabiliter ſanctéque vixerat, ſanctum ſpiritum ſuum Deo reddidit, à quo illum acceperat, tertio Idus Auguſti anno ab orbe redempto, M.D.XXXIX.

Quàm verè conueniunt ſanctorum judicia de ſcriptis & factis impiorum. Quod de Eraſmo (quem anteſignanum Lutheri appellauit) idem noſtræ Societatis Conditor Ignatius monuit, ne Eraſmi ſcripta noſtrates attingerent, quod omnem religionis ſuccum & ſpiritum exhaurirent, Deúmq; penitus ex animis noſtris abolerent.

In 17. conc. de falſis Prophet. lit. M.

MAROL-

MAROLDVS

RELIGIOSVS VNDERSTORFENSIS.

Anno Chriſti CIↃC LXXII. *Ex monumentis Cœnobij Vnderſtorfenſis MS.*

EſSt in terra Boica ad amnem Gelonum inter Monachium regiam Bojorum & Auguſtam Vindelicorum nobile cœnobium Vndenſe, vulgo Vndenſtorfium S. Auguſtini Canonibus ſubjectum, ab Othone VVitelſpachio Othonis Ducis parente conditum, in quo ſub annum Chriſti milleſimum centeſimum alterum & ſeptuageſimum magnæ virtutis & innocentiæ vir Maroldus piè religioſéque vixit, nullis ſacris ordinibus initiatus, nec literis eruditus, ſed legum religioſarum obſeruantiſſimus, magniſque gratiarum cæleſtiũ donis auctus; qui domeſticis Patribus fratribúſque magna cum animi ſubmiſſione & charitate miniſtrauit, atque ex prædijs ſuburbanis, quæ ad victum pertinebant ſuis humeris apportauit. Erat inter cœnobium & vicum, vnde quotidie neceſſaria pro monaſterio petebat, pia Chriſti de cruce pendentis imago, ad quam, onere tantiſper poſito, nonnihil requieſcens preces ſternere ſolebat, vt vires cùm ſpiritûs tum corporis inſtauraret. Ad hanc velut aram tandem & annis feſſus & laboribus exhauſtus, cum de more tranſiret, tanquam victima cecidit, ſed in genua abjectus, ſublatis in cælum & oculis & manibus precabundus, vti religioſum & ſanctum decebat, animam Deo reddidit, præmiáque pietatis, religionis & obedientiæ ſempiterna recepit. Interim ſtatim ab ipſius morte dum adhuc ad crucem extinctus hæreret, in cœnobio omnia in turri æra, nullo manum admouēte concrepuere. Ex quo intellectum, id miraculo factũ eſſe, vbi de morte Maroldi cognitum eſt. Ergo tota religioſorum illic ſodalitas ſupplicabunda ad locum crucis & defuncti proceſſit, humeríſque ſacrum fratris pignus domum retulit, & ad S. Nicolai aram, qui honos nec Præpoſitis ipſis, nec conditoribus cœnobij ante illum diem habitus eſt vnquam, ſepeliuit; ita beatus juxta beatos erat collocandus, cum de illius ſanctitate nemo dubitaret, præſertim, quod dum viueret, in miſeros ita eſſet affectus, vti vicem illorum & egeſtatem magnopere doleret, & quibus poſſet auxilijs leuaret. Deferebat olim elephantiacis aliquot panis cruſtula,

Nota ſimilia in Ferrario. p.41.70 148.150.155.171. 178 179.191 320. 334 345.400.530. 578 613.636 654. 659.719.770.814

Digitized by Google

ſtula, & nonnihil de vini latice, occurrénſque fortè ſuo præſidi (ad quem jam aliàs de nimia in pauperes liberalitate delatus erat) veluti deprehenſus & ſeueriùs objurgatus rogatúſque quid portaret, affirmauit ſelignum & lixiuium ferre, factúmque momento temporis vti menſa, quam ferebat in materiam & lixiuij liquorem, obſtupeſcente præſule, verteretur, ipſéque quo tendebat, abire juberetur. Prorſus huic ſimile prodigium in S. Radegundis ancillæ VVellenburgenſis vita legitur, quæ non procul Auguſta ſingulari ſacello colitur. Nec diſſimile infra in S. Notburga Rottenburgica recognoſces. *In SS. Auguſtanis.*

✠

K VOBVR.

VOBVRGENSIS
AGRICOLA ANONYMVS.

Tempus ἄδηλον, ſiue incertum. Ex monumentis Mynſterienſibus. Voburgum ein Marckt.

VOburgum Bojariæ oppidum eſt perantiquum inter Ingolſtadium & Neoſtadium medio interuallo cis Danubium, à quo non procul colonus prouectæ jam ætatis, & in multum ſenium vergens vxore & liberis dudũ extinctis, in agreſti caſa ſolus degebat, nec aliud agebat, quàm vt votis & precibus Deo litaret. Viuebat is ob inopiam aliena etiam miſericordia, quando ferialibus diebus diebus oppidum ingrediebatur, vt rei diuinæ intereſſet, & ſtipem à ciuibus corrogaret, quam ob pietatis famam largam accipiebat, vt in reliquam hebdomadem frugali, & modico contento facilè ſufficeret. Explorauerant hujus quantumuis inane tuguriolum duo nocturni graſſatores, & aurum latere ex collecta largitorum manu ſuſpicati, per tenebras mapale inuadunt, miſerandum ſenem corripiunt, mortem intentant, atque omnia vltima minantur, niſi collatum ſibi peculium omne prodat. Negantis, ſibi quicquam æris aut argenti auriue eſſe, collo funem injiciunt, & innocentiſſimi ſenis animã fracta gula impij latrones elidunt, projectóque primum cadauere, omnes cellæ angelos, ſtramenta, lectulum, veſtes excutiunt, nec hilum tamen de pecunia, quam nullam habuerat, rapiunt. Tum in conſilium eunt, quomodo nefarium ſcelus tegant, omnémque latrocinij ſuſpicionem à ſe remoueant. Corpus interfecti è trabe ſuſpendunt, vti viſentibus opinionem ingererent, infelicem hominem vltro ſibi mortem conſciuiſſe. Tum obſerata domus janua, vt à via non niſi vectibus aperiri poſſet, parricidæ profugiunt. Latuit res non niſi in proximum Dominicum, quo cùm à Voburgenſibus deſideraretur, ægrum ciues ſuſpicati ſubmittunt qui decumbentem viſant, & ſtipem cum edulio delicatiore deferant. Sed famuli cum ædes clauſas offenderent, nec inclamatus reſponderet, rati ſupplicem peregrè abijſſe, opidanis renunciant, ſenem abeſſe, & haud dubio religionis, aut voti cauſa peregrinatum, aut ſupplicatum abijſſe. At vbi diutius quàm pro more, abeſſe animaduerſum eſt, res paullatim in ſuſpicionem venit, fortaſſe miſerum domi ſuæ ſolum & omni ope deſtitutum oppetijſſe. Itaque itur à familiaribus ad te-

ctum,

Digitized by Google

ctum, fores vi effringuntur, ibi verò horrificum, & lamentabile ſpectaculum ingredientium oculis objicitur: ſenex è tigno ſuſpenſus pendet, & horrorem ſpectantibus, vti fieri ſolet, incutit. Defertur res ad magiſtratū Voburgenſem, qui, quod cuiuis primum occurriſſet, non longius proſpiciendo αὐτόχειρον arbitratus, quaſi ſponte in furcam iſſet, pendulum & patibularium detrahi, & in loco ſupplicij publico, tanquam reum cædis, ſub patibulo à vindice ſuppliciorum humari præcepit. Enimuerò ſupremus ille ſcelerum vindex, qui juſtis è cælo oculis mortalia reſpicit, nec diutius oppreſſam latere innocentiam paſſus, & maturè in ſceleratos animaduertit, cùm & ſanctum ſenem cæleſtibus prodigijs à ſuſpicione ſceleris abſoluit, & impios latrones hac ratione prodidit. Nundinæ Voburgi appetebant, ad quas ingens hominum vis confluere ſolet, alij, vt merces adferant; alij vt vel emtas, vel etiam inemtas auferant, alij demum vt à viatoribus ſportulas colligant. Erant inter hos claudi, cœci, elephantiaci, qui non ſecus ad illam frequentiam atque ſani concurrebant. Ex his primum orbus luminibus, dum aliena manu ductus patibulum tranſiret, vbi innocentis coloni cadauer non pro merito cultum, inter infames noxiorum cineres neglectum jacebat, repente cæleſti vi lumina aperire, cælum & terram claris oculis intueri, & ſuam ipſe felicitatem demirari. Secutus hunc eodem tempore, qui ligneis pedibus vitium ſuum corrigebat, qui & ipſe propter eundem locum ſubitò ſurrectis & emendatis cruribus abjectiſque furcis cæpit currere, & gaudio ſimul, vt ille olim à D. Petro curatus, exilire. Acceſſit demum fœda lepræ ſcabie obſitus, quam & ipſe præter omnem ſpem & expectationem eodem in loco diuinitus abſterſit. Hæc res tam inuſitata, cum per opidum & viciniam (curatis vel vltro cœleſtem opem teſtantibus, vel ab inquirentibus & ſanatorum notis cognitam) latè ſpargeretur. Injecit curam pluribus majora cogitandi, & ex loco ipſo augurandi, profectò illum nuper innoxium ſenem, & ruſticum non debito ſibi templo tumulatum. Interim euenit, quod hanc vulgi ſuſpicionem certam & manifeſtam oſtendit. Duo illi ſceleſti ſicarij, qui agricolam hunc domi ſuæ obtruncarant, Voburgi alio nomine comprehenſi jam in vinculis detinebantur, qui cum ex cuſtodibus carceris audirent, quæ cœco, claudo, & elephantiaco proximè patibulum, ſub quo inſons ille conditus erat, accidiſſent, miraculo attoniti (tanta vis eſt conſcientiæ) cædem à ſe fa-

ctam confeſſi ſunt, omnémque rei ſeriem magiſtratui expoſuerunt, quam ob cauſam ad caſam ſenis acceſſerint, hominem jugularint, & jugulatum in furcam egerint, vt furti ſuſpicionem à ſe amolirentur: ſe omnino exiſtimare tres illos juxta patibulum illius ope curatos eſſe, vt innocentis cædes & latronum parricidiũ diuinitus proderetur. Senatus Voburgenſis pontifici Ratiſponenſi, in cujus diœceſi opidum eſt, prodigium nunciat, qui mox cum ſacro ordine & frequenti hominum concurſu locum ſupplex accedit, corpus effodit, ſuíſque ipſe & ſuorum humeris Voburgum deportat, & in æde Xenodochij venerabundus deponit, vbi multis deinceps beneficijs in homines ſupra naturæ vim collatis nobilitatus & cultus eſt. Parricidæ illi cum propter hoc, tum alia facinora vltimo ſupplicio affecti ſunt. Ego neque nomen neque Calendas aut conſules vllos, quibus hoc euenit, potui cognoſcere. Nempe ætas illa ſimplex rem tantùm ſignauit, tempora neglexit.

ANONYMVS GEISEN-FELDENSIS.

SVbiungam huic agricolæ nobiliſſimum iuuenem Geiſenfeldii defunctum, de quo ita ad me perſcriptum eſt: Nobilis quidam & vir illuſtris & de Monaſterio (Myniſterienſi, vt ex eo libro colligitur) præclarè meritus, vnico filio ſuo parabat nuptias admodum ſplendidas; & ecce, prima illa nocte, quæ nuptias inſecuta eſt, ſponſus comparata ſibi prius clanculum mendici vel peregrini cuiuſdam veſte, tanquam alter Alexius, inſciis omnibus aufugit, relicta ſponſa & ipſis parentibus, qui, quamprimum hoc aduerterunt, è ſummo nuptiali gaudio in ſummum luctum conuerſi, famulos ſuos per omnes mundi partes emiſerunt, vt amiſſum ſponſum requirerent. Veniunt illi etiam Geiſenfeldium, diuertunt in publico hoſpitio, ibidem pranſuri. Et ecce amiſſus ille ſponſus mendici ſpecie è templo re diuiuina peracta, tandem fame cogente idem hoſpitium, vbi famuli illi prandebant, ignotus ingreditur, & propter Deum offam petit, qua impetrata, ad fornacis angulum ſe confert, ibíque cibum in ſilentio ſumit. Interea famuli menſæ aſſident, & cauſam ſui aduentus triſtem & lugubrem recenſent. Inter alia quidam ex illis: Dominus noſter ſponſus, inquit, quem quærimus, ea ferè ætate & ſtatura fuit, qua mendicus ille ad Caldarium. Audijt hoc

ſponſus

ſponſus ille mendicus, & Deum precatus eſt, vt ipſius beneficio vel tutò lateret, vel protinus ex hac miſera peregrinatione ad cæleſtem patriam transferretur. Annuit tam piæ petitioni Deus, & mox ſponſum ſuum ad cæleſtes nuptias per placidiſſimam mortem euocauit. Famulus quidam hoſpitis cum animaduertiſſet, mendicum capite proclinato quaſi dormienti ſimilem, acceſſit excitaturus, quem vt vidit, mortuum exclamat, accurrunt omnes etiam diſcumbentes, & vnus illorum ex neſcio quo ſigno, agnoſcit illum ipſum eſſe ſponſum, quem quærebant, & ſtatim conſcenſis equis domum properant, renunciaturi quem & qualem inueniſſent. Prius tamen hoſpiti ſeriò demandant, ne quiſquam mortuum vel minimum attingeret, vel loco moueret, priuſquam rem totam Dominis ſuis renunciaſſent. Quod vbi factum eſt, parens vterq; defuncti ſponſi, vnà cum ipſa ſponſa, maximo cum luctu & comitatu Geiſenfeldium venerunt, hoſpitis domum illam præſenti pecunia, quantam ille petebat, emerunt, eámq; deſtruxerunt, & in eodem loco magnificentiſſimum templum extruxerunt, ibíque nouum ſponſum filium ſuum chariſſimum eo ipſo loco vbi obierat, ſub ſummo altari condiderunt, multis ex eo tempore miraculis illuſtrem.

CLAVDIVS IAIVS

VNVS E DECEM PRIMIS SOC. IESV PATRIBVS, INGOLSTADII PROFESSOR THEOLOGIÆ.

CIↃ IↃ LII. *Ex Orlandino & alijs Scriptoribus.*

CLaudius Iajus, gente Allobrox, Gebennenſis Theologus, vt illum Nicolaus Orlandinus appellat, ſub annum Chriſti tertium vel quartum ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimum ſe Ignatio ſociũ conjunxit, vir eximiæ pietatis, doctrinæ, virtutis, qui jure ſuo in album Bavariae Piae venit, quòd in laudatiſſimâ nobiliſſimâque Academia Ingolſtadiana velut arce gentis Boicæ non ſemel verſatus, ibidem ſacras ac Theologicas literas publicè magna cum Academicorum commendatione profeſſus ſit ac docuerit. Primum enim juſſu Pontificis cum Bobadilla Reginoburgum, quam hodie Ratiſponam vocant, miſſus rem Catholicam vehementer juuit & promouit. Verſabatur, inquit Orlandinus, etiam Ratiſponæ anni hujus in ortu Claudius Iajus: quæ Ciuitas Libera cùm ſit, & ſoli ſubjecta Cæſari, tanto in ea vehementius res Catholica laborabat, quanto minus is qui res gerebat Magiſtratus, ad abigendos Hæreticos cum Antiſtite conſpirabat. Quin etiam poteſtatem Senatus ipſe geminæ Eccleſiæ malignantium in vna eadémque Ciuitate permiſerat, quarum alteram Lutheri curabant Alumni, teterrimo ſcilicet didaſcali ritu: In altera Curiones alij clam cum Laicis Euchariſtiæ myſteria ſub vtraque ſpecie communicabant.

p.106. n.21.

Nec his incommodis obuiam ire pro ſuo ſtudio, haud implorato Cæſare, Præſul poterat. Satis igitur habebat negotij Iajus, hoſtibus retundendis; quorum ſe nefarijs conatibus, vigilijs viciſſim opponebat acerrimis: vt ſi qua pars Ciuitatis à Luthero ſe glorietur intactam, ea gloriam hanc continentibus Iaij vigilijs & laboribus acceptam ferat. Is & publicis prælectionibus, in quibus erat vel ipſis hoſtibus admirabilis, & functionibus ſaluberrimis Catholicos vniuerſos, Religioſos perinde, ac Laicos in officio continebat. Is ad caſtigandos formandóſque denuo mores plebis Dei cohortabatur Epiſcopum, & quàm ea res eſſet gerenda ſo-

lerter,

lerter, ne quid offenſionis haberet in populis, admonebat. Is nullum tempus, ſiue publicè ſiue priuatim, ipſius quoque admonendi Senatus, ne ſtultiſſimis Hæreticorum ſuffragaretur erroribus amittebat. Vt mirari jam deſinas turbulentiorem in eum, quam ſuperiore anno concitatam ab improbis tempeſtatem, qui ferre hominis externi conſilia non poſſent, quibus inſaniſſimæ ſuæ libertatis peti jugulum ſentiebant. Quamquam autem in pauperem & inermem manus inijcere, Deo prohibente ſunt veriti, quã-tum tamen in ipſis fuit, vertendum homini mitiſſimo ſolum erat. Sed odia vicit hoſtilia ſingularis charitas Patris, inſolentiam manſuetudo; perſeuerauitque monitis & conſilijs, optimè quoque de maleuolis & ingratis in ſua ſtatione mereri. Quoniam autem paululũ ab vrbe ſeceſſerat Paſtor, ad hunc ſe contulit, vt & quantum commiſſis ouibus immineret exitij, commonefaceret, & ſimul ad promulgandum Apoſtolicum Iobelæum, quod toto orbe Chriſtiano id temporis emanarat, incenderet. Res ceſſit ex voluntate. Vix ipſe Ratiſponam retulerat gradum, cùm ex Epiſcopi familiaribus quidam ejus conſilij conſcij promulgationem illam anteuerterant: expletisque rebus omnibus, quas indulgentiæ promerendæ nomine in ſuo diplomate Pontifex imperabat, priùs exemplo, quàm verbo Iobelæum vulgo nunciarant, ingenti Catholicorum gaudio, incredibili Proteſtantium inuidia, quorum hæc in oculis gerebantur. Mitem ſe prorſus in hæreticos Iaius, dum eos ſanare ſtudet, exhibuit, qui vt omnibus omnia fieret; & faciliores præberet aditus ad colloquium, non horruit jam ætate prouectus linguæ aſperæ diſciplinam: eáque re, ſaluti non paucis fuit, quorum jam animos ad veritatem diuina benignitas flexerat, alios autem in hæreſi pertinaces, poſt vnam & alterã correctionem, ex Apoſtoli conſilio ſibi prorſus deuitandos putauit. Horum præcipuè fuere duo iræ cæleſtis exempla; alter Laicus Doctoris cohoneſtatus inſignibus: qui communionem ſub vtraque ſpecie, quod nemo ad eum diem auſus fuerat, Senatui impudenter obſtruſerat, magna ſanè Catholicorum clade. Alter ex B. Franciſci familia tanto priore nequior, quanto ſanctioris diſciplinæ deſertor, qui cùm diu Lutheri virus foueret in pectore, palàm tamen effundere, perfidiæ notam veritus apud Senatores Catholicos non eſt auſus. At vbi Senatum omnem ruere in hæreſim ſenſit, cum eóq; è Catholicis deſciuiſſe complures (jam enim id vulgo fieri repugnante nemine cœptum erat) ipſe quoque perſona poſita togam exuit, cucullam abjecit, & de Lutheri Cathedra ſe

 profeſſus

Digitized by Google

profeſſus regendam malignantium ſuſcepit Eccleſiam, ducta ex egregiæ diſciplinæ legibus muliercula, ſcelus ſcelere cumulans, defectionem ſacrilegio. Hos à conceptis Iaius reuocare flagitijs ſæpe conatus, cum diu fruſtra ſudaſſet, æquiſſimus ille judex, qui rebus non indormit humanis, nec in apertis, teſtatisq; ſceleribus ſemper diu conniuet, repentino diróque ſupplicio vindicauit. Ac Laicus quidem paulo pòſt acerrimo ſubitóque morbo correptus, geminæ horæ ſpatio inter diriſſimos cruciatus contaminatam animam euomuit. Impurus verò ille deſertor, quindecim interpoſitis vix diebus, in ea ipſa corporis parte, vbi Deo dicatam caſtitatem ſacrilegus violauerat, ſummorum dolorum cruciatu confectus interijt. Quæ duo irati Numinis documenta in impios ac flagitioſos fuere perſpicua, & permutandis illa quidem peruerſis mentibus apta ſatis, niſi dementia & cæcitate, longè grauiore pœna, æquitas diuina mulctaſſet. Non enim aut Senatus, aut qui Senatus peccarant exemplo, meliores tantis terroribus facti ſunt: imò adeò in procliue lapſi omnes, vt tota ferè ciuitas Lutheranam ſe eſſe Iaio ingemiſcente, mirata ſit. Quo loco nequaquam ſatis dignis efferam laudibus Bauarici * Guilielmi Ducis in tuenda Religione conſtantiam. Qui ſimul ac de Ratisbonæ defectione cognouit, capitali cauit edicto, ne quis è ſua ditione in eam ciuitatem, niſi ea toto ex animo reſipiſceret, pedem poneret: vna eademque medicina & ſuis & alienis ſalutem parans; ſuis quidem; ne quid ad eos ex contagione vicinæ Vrbis peſtilentis afflaret auræ: alienis verò, vt tanto ciuitas priuata commercio (eſt enim in ipſo quaſi Bauariæ centro collocata) perfidiam abijceret, & redire cogeretur ad fidem. Metuentibus autem ne id edictum ſeges eſſet, ac materia bellorum, magnus animo ac pietate Dux reſpondebat, ditio vniuerſa, & vita eripietur mihi citius, quam vt populum meum Luthero impio prodam. Optimè nimirum intelligens minimè conſentaneum eſſe, vt patriæ religionis ſanctitatem, æternámque ſuorum Ciuium ſalutem, aut vitæ ſuæ commodis, aut ſuæ tranquillitate ditionis poſteriora duceret. Itaque ad hodiernum vſque diem magna cum voluptate cernimus Bauariæ prouinciam non modò nil bellicis periclitatam tumultibus impiorum; ſed Deo tam nobilem Principis remunerante animum, & vnius virtute Guilielmi, hæreditario in poſteros quaſi jure transfusâ, Religionis eſſe Catholicæ propugnaculum. Ne Germaniæ videlicet ipſi ante Majeſtatis Diuinæ tribunal excuſationi ſit locus, quæ ſua quodammodo intra viſcera, non vnum

* Guil. IV.

aut

Digitized by Google

aut alterum oppidum, ſed tot populos antiquiſſimæ pietatis obſeruantiſſimos, etiamnum continet. Deplorabat Iaius miſerabiles Ratiſponæ ruinas, cuius erigendi cauſa biennium ferè totum nullis curis vigiliiſque parcebat. Crebro inuiſebat Antiſtitem, & ſui admonebat officii: ſtimulabat ad optima quæque Canonicos & propriis in ædibus modò hunc, modò illum aut ſalutaribus priuatim colloquiis aut ſpiritualibus Societatis exercitationibus adiuuabat. Ad Senatum perorauit egregiè, terræque bonæ quantum coniici poterat, ſemen diuini verbi mandabat. Sed dum ſuis conſiliis auctoritatéque hæreticum ciuitati percharum tentat à concionandi munere remouere, multorum ſubiit inuidiã: multis etiam è ſacerdotibus reformationis nomine, cuius auctor habebatur, parũ gratus erat. Ipſe verò cùm cruces vndique & pericula intentarentur, triumphare gaudio cœpit, cúmque minitarentur, ſe illum ex alto in ſubiectum Danubium deiecturos, intrepidus reſpondebat, in cælum ſe tam facilè aquâ quàm terrâ ire poſſe. Nec defuerunt, qui ei aut mortiferam veneni potionem propinare conarentur, aut ſubitum molirentur exitium. Complures tamen viri boni, Catholicíque, atque inter hos Ciuitatis Epiſcopus in oculis eum ferebant, palámque exultabant, & quod tam conſtanter ille ſe facinoroſis opponeret, & quod innocentis ſpeculo, facilitatéque permira haud con temnendos ſuæ tolerantiæ fructus ferret. Aggreſſus eſt explanare publicè S. Pauli Epiſtolam ad Galatas in maximâ ferè omniũ ordinum coronâ, ipſis etiam præſentibus Lutheranis; & quamuis in eadem vrbe duobus in templis peſtilentiſſimæ Lutheranorum conciones haberentur, ipſe tamen tanta omnium conſtantia, ſitíque audiebatur, vt ne per autumni quidem vindemias, vt mos erat, intermitti ſacram illam pateretur explanationem. Dum in his Ratiſponæ ſtudijs & occupationibus Iaius cum ingenti fructu diſtinetur, Legatus Pontificis Nuncius Apoſtolicus, Epiſcopus Caſertanus, cum Noribergam Ratiſponâ tranſiret, de ſtatu Iaij commonefactus illum juſſit ſe propediem ſubſequi. Qui cùm in digreſſu more ſuo Catholicorum confirmat Eccleſiam, ecce tibi ab eodem Nuncio, qui dimiſſo cœtu, opinione celeriùs Norimbergam reliquerat, petente Bojorum Principe mittitur Ingolſtadium. Quamuis enim optimus Princeps ad omnes aditus excubaret, ne quis hæreticorum per occultas rimas irreperet, non potuit tamen cauere quin Academiam, vti mala facillimè propagantur, exitialis Lutheri lues ex occulto afflaret.

Hîc

Hîc Iajus totam æſtatem traducit, & dum multos errore liberat, eximiæ ſanctitatis & doctrinæ ſpecimen præbet; quæ quò latiùs ad multorum pateret vtilitatem, partim conſilio Roberti Vuaucopij Archiepiſcopi Armacani, qui per eos dies fortè Ratisponæ apud Scotorum cœnobium, & in his partibus verſabatur, partim precibus ſtudijsque Doctorum Ingolſtadienſium, publicè docere compulſus eſt, præſertim vt ſimul ejus cathedræ majeſtatem ſuſtineret, quam nobiliſſimus & doctiſſimus vir Ioannes Eckius acerrimus Catholicæ Propugnator Eccleſiæ, maximi vir nominis & cujus multa eximiáque extant opera, nuper vita defunctus reliquerat.

Iaij igitur opera inclaruit primum Ingolſtadij Societas, quem poſtea abire parantem, quàm ſtuduerit omnis illa Academia deguſtatum ſemel hominem remorari, mox indicabimus. Interim quaſi per digreſſiunculam ſignificandum, quis ille Robertus VVaucopius Archiepiſcopus Armacanus fuerit, cujus jam ſupra mentio facta eſt. Deſcripſimus hunc jam olim in tertio Viridario, & inter cœcos ſanctos retulimus: Non eſt inquam, quod ſibi Græci de ſuo Didymo Latinis parum laudato, imo verò grauiter etiam reprehenſo gratulentur: Habet Romana majeſtas etiam in cœcis miracula, & paulò ante noſtram ætatem. Nam Robertus hic VVaucopius verũ orbis Chriſtiani miraculũ & lumen in Scotia quaſi in tenebris natus, clarũ jubar ſolis tota vita aſpexit nunquã, cùm interim Lutetiæ mox operam literis daret, in quibus adeo feliciter eſt progreſſus, vt ibidem ſum̃us diuinæ legis doctor crearetur. Romæ poſtea ſacris admotus vt in Hibernia majorẽ Pontificatum ſanctè adminiſtraret, idémq; ſum̃i Pontificis Imperio Legationes ampliſſimas obiret. Conſeſſum Tridentinorum Patrum in Conciliũ ibi collectorũ quamuis cœcus non mediocriter illuſtrauit Dum Hiberniam repetere cogitat, in ipſo reditu Pariſijs inter noſtrorum Patrum manus, anno poſt Chriſtum CIϽ IϽ LI, primo, IV. Idus Nouemb. ſanctiſſimè expirauit.

Ad Iaium noſtrum redeamus, qui Ingolſtadio digreſſus ad Othonem Auguſtanum Pontificem, qui illum reliquis Epiſcopis extorſerat, ſe contulit, & cum illo Salisburgum ac VVormatiam adijt, vbi conuentus Principum de religione celebrabãtur; in quo concilio & Cæſar ipſe Carolus V. Maximus, & germanus ejus Ferdinandus Rex Romanorum apparuerunt, quibus omni ſtudio ſalutaria conſilia priuatim publicéq; adeundo, ſuadendo, concionando ſuggeſſit, quæ omnia prolixè denarrat Orlandinus.

Sub

Digitized by Google

Sub idem ferè tempus à varijs Principibus opera Iaij poſtulata eſt, adeo ſecundi manabant de ejus integritate atq, eruditione ſermones. Sed indictum Tridenti Concilium, quo & illi properandum erat, omnium vota & poſtulata diremit. Quippe Auguſtanus prę́ſul delato ſibi per id tempus à Pontifice honore purpuræ & galeri, Iajum ſuo nomine ad indictã jam Synodum cum Eccleſiæ ſuæ Canonico docto viro legandum putauit. Quò cum Decembri circiter ineunte veniſſent, à Tridentino Cardinali perhumaniter ſunt excepti. Sed paratum Iajus recuſans hoſpitium ad publicum Xenodochium, Præſule illo repugnante diuertit, vt inibi ægris & miſeris obſequia pietatis & ſeruitutis exhiberet. Interim proceres Eccleſiæ majores Tridentum acceſſere, à quibus Iaius graues adhibebatur ad cauſas, magnóque erat apud omnes Tridenti loco. Conſulebatur in Circulis de Concilij rebus, & à præſulibus multum fatigabatur. Vocabatur & ad communes ac generales, & ad priuatos propriósque conuentus; nec tamen vſitata Societatis munera, cum ſe dabat occaſio, prætermittebat. Cathedras publicè conſcendit, verba publicè ad auditores fecit, Sacramentis etiam animos confitentium expiauit. Quapropter in paucis charus erat Ludouico Madrucio Cardinali, Pontifici Tridentino, cum quo ſæpè & liberè, & perfamiliariter agebat, quando præſertim pro ſua pietate beneficus in pauperes eſſe volebat. Nam feria quinta ſacroſanctæ hebdomadis vno & ſolo adhibito Iaio conclaue clã intrauit, vbi opiparè extructâ mensâ mendicorum turbæ nudo capite miniſtrauit, Deinde ſaturis aquam infudit, & noua ſingulos veſte donauit, crumenámque ſingulorum aureo numo ditauit; ac tum demũ breui adhortatione mentes etiam, quorum corpora pauerat, refecit, omnique labore peracto, turbâque pauperum dimiſsâ, feſſus ipſe ſolus cum ſolo Iaio diſcubuit, & inter menſam cæleſti ſermone epulas ambo condierunt. In his tam humilibus ſimul & ſublimibus pietatis officijs, dum charitas Iaij Tridenti occupatur, ecce tibi repente grauis in caput illius procella detonuit. Infula hierarchica ceruici illius imminebat, quam haud pauci fortaſſis exoptaſſent, ille ſibi Aetna & Atlante grauiorem ratus omni ope excutere conabatur. Tergeſtinorum Epiſcopus (eſt autẽ Tergeſte Iſtriæ vrbs in Italia, quam in ForoIulij nonnulli collocant, qua contingit Illyricum) per mortem, ſacrum Capitis decus cum vita exuerat, Ferdinandus Romanorum Rex Eccleſiam illam Iaio tradere, cuius vitam doctrinam & literas admirabatur, conſtituerat. Mouebant pium regem

& com-

& communis temporum calamitas, quæ tantam hæreſum luem in Chriſtianum orbem effudiſſet, & orbæ illius diſcrimen Eccleſiæ, quæ Germaniæ jam deprauatæ propinqua ſine acerrimo vigilantíque cuſtode contra gliſcentem hæreticorum rabiem & peſtem, ac ne vix quidem ſeipſa defenderet. Igitur, inquit Orlandinus, vrgere per literas Iaium, vt prouinciam ſua vigilia & caritate dignam, ſi à Pontifice maximo imponatur, accipiat. Nihil eum aut ſibi gratius, aut populo facturum vtilius. Iaius verò, qui & judicio bene inſtituti animi (nam etiamnum adoleſcens in libello horarias Deiparæ preces continente Auguſtini, Gregorij & Bernardi certas ſententias defugiendis honoribus ad perennem memoriam ſcripſerat) & adjumento doctrinæ, & Societatis maximè diſciplina ab his honoribus abhorrebat, ſimul ac ejus rei nūcium accepit, non modò animum ſuum contra oblatas infulas acriter obfirmauit, verum etiam communem parentem Ignatium per ardentes literas obſecrauit, vt & ſuis, & ſuorum votis deprecaretur à Deo, ne tantum onus in ſuos humeros rueret; verum ab ea cogitatione mentem Pij Regis auerteret, idq; ipſum apud Pontificem, & quoſcunque oporteret, omni ope curaret: ſe quidem niſi obedientia Tridenti teneret, rem omnem fuga, & latebris diſcuſſurum. Et jure vir ſapiens ſibi metuebat, qui metuentes ſanctos viros in accipiendis Eccleſiæ gubernaculis ſæpè legerat aut viderat: nec ignorabat, quod ſcriptum Nazianzenus cùm Epiſcopatum fugeret, reliquiſſet, metum hunc omnium maximum metum eſſe, & hoc periculum vnum omnium periculorum extremum. Itaque cum Labacenſis Antiſtes, qui Regis confeſſionibus præerat, Venetias eo ſe conſilio contuliſſet, vt de Tergeſtina Cathedra Regis nomine cum Iaio ageret, & Iaius illuc de Legatorum ſententia ſe tranſtuliſſet, prudens Pater, audita ab Epiſcopo Regis mente, quamquam quid reſpondendum eſſet, conſtitutum animo jam habebat, tamen ne præcipiti conſilio, aut cœco videretur impetu duci, horæ ſpatium ad deliberandum in precationibus poſtulauit. Deinde ſecundum precem, conſcientiam ſuam fidémque teſtatus affirmauit, illud ſuis humeris impar onus nullo modo ſuſcipiendum ſibi videri, ac Regi quidem beneuolentiæ, tamque honeſto de ſe judicio multam ſe pro eo ac deberet, habere gratiam; cæterum rogare ſummis precibus infimiſque, vt ad eam prouinciam aliud ſibi genus hominum, ac de Societate perquireret. Id quod in Bobadillæ gratiam addi placuerat, nam & ipſe non ita multo ante oblatam ab eodem Rege Epiſcopi Cathedram

p. 176. f.

thedram conſtantiſſimè recuſarat. Nec vacaſſe prouidentia diuini Numinis animaduerſum eſt, quod Labacenſis Epiſcopus, quo die tractaturus cum Iaio negotium Venetias nauigabat, tantum non in Adriatico merſus eſt; vt infelix ipſe nauigationis curſus præſensque diſcrimen admonere poſſet hominem, quàm importunè curſum illum quámque inuito Numine ſuſcepiſſet. Ergo Iaio fruſtra tentato Rex faciliore via negotium confici poſſe ratus, ſi Pontificis Maximi nutus, atque autoritas intercederet, dat ad ipſum Pontificem literas, eúmque orat atque obſecrat, vt recuſantem Iaium Tergeſtinæ Ciuitatis Epiſcopatũ, virum ceteroqui, & eximia probitate, & ſingulari doctrina ad id munus ornatum, recipere pro poteſtate jubeat, ſi illum Domini gregẽ in tanta Hæreticorum importunitate ſaluum, & à luporum incurſibus tutum velit. Proprias etiã ad Oratorem ſuũ Iacobum Laſſum literas dat, vt cum Pontifice coram agat, & Tergeſtinæ Eccleſiæ cauſã maturè & accuratè conficiat. Eam ſtrenuè, vt erat juſſus, vrgebat orator, & ad exitum jam pene perduxerat, cùm ad eam diſturbandam & euertendam Ignatius poſt acres vigilias perennéſque labores ſenſit omnes gratiæ aditus interclusos. Nam nec ab Oratore, nec ab amicis Cardinalibus, aut ab ijs, qui in Aula aliquid gratiâ poterant, nec ab ipſo Pontifice, quem æquiſſimæ Ferdinandi poſtulationi obſequi cupientem, multis fruſtra rationibus antè docuerat, quàm ea res Societati noxia quámque periculoſa foret, ab horum inquam nemine ſperare aliquid opis aut gratiæ poterat. Ergo in tanta rei deſperatione vna erat, quàm aſſiduis & intentiſſimis alebat precibus, Dei fiducia, quæ tot incaſſum itineribus pertentatis perfacilem demum, & expeditam diſturbandæ rei viam rationémque ſuggeſſit. Ea fuit, vt Regem ipſum à ſuſcepta reuocare ſententia per accuratam conaretur Epiſtolam: vt ille ipſe telam retexeret, qui fuiſſet exorſus, & qui fixiſſet aculeum, is euelleret. Conſilium inuentum eſt fuiſſe diuinum. Nam quamquã poſtridie quàm ad Regem ſcriberet, dicebatur in Concilium Cardinaliũ de Tergeſtina Cathedra referendum, tamen impetrata per Margaritam Auſtriacam, cui à Confeſſionibus Ignatius erat, otij morula, literas ad Regem in hanc ſententiam dedit:

Nobis, Rex præſtantiſſime & optime, neque Majeſtatis veſtræ voluntas, Societatem noſtram ornandi, neque ſtudium animabus veſtrorum populorum conſulendi obſcurum eſt. Qua de vtraque re gratias agimus, habemúsque quantas maximas humilitas noſtra poteſt, illud precantes à ſumma bonitate atque ſapien-

tia, vt Majeſtati veſtræ rationem inſpiret, qua quæ ſancto zelo expetitis, efficere oportuniſſimè poſſitis. Ac nobis quidem illud beneficium erit maximum, ille fauor ampliſſimus, ſi nos ad viam profeſſionis noſtræ ſincerè ac fideliter proſequendam juuetis. Cui rei ita aduerſari honores perſuaſum habemus, vt planè déque animi noſtri ſententia pronunciemus, ſi cogitatione fingendum ſit, quanam ratione poſſet hic ordo euerti, neſcire nos quicquam excogitare Epiſcopatuum receptione deterius. Nam qui primi in hanc conuenere Societatem, ea ſingulis mens, illúdque propoſitum fuit; omnes vt terrarum partes ad ſummi nutum Pontificis religionis cauſa peragrarent: ita vt primus, atq; germanus hujus familiæ ſpiritus ſit, cum omni humilitate, atque ſimplicitate ex vna in alias atque alias ciuitates, & Prouincias pro Dei gloria, & animarum ſalute curſare: certáque nulla regione operam ſuam concludere. Quod vitæ inſtitutum, non ſedes modò Apoſtolica comprobauit, ſed etiam aperta præbuit è cælo documenta Deus; quibus placere ſibi oſtendit vario, multiplicíque prouentu pietatis, quo hominum noſtrorum labores ſua clementia fœcundauit. Itaque cum in conſeruatione primi ſpiritus quaſi anima ſita ſit Religioſorum cœtuum, haud dubium eſt, quin eo retento, nos conſeruaturi; deſerto, perdituri Societatem noſtram ſimus. Quanquam & inde intelligere apertè licet, quanta nobis peſtis Epiſcopatibus recipiendis impendeat. Nam cùm hoc tempore profeſſi haud plures nouem ſimus; atque eorum quatuor aut quinque delati Antiſtitum honores ſint, quos conſtantiſſimè pro ſe quiſque repudiauit, ſi jam vnus quiſpiam admitteret, idem alij licere ſibi putarent: neque jam ſolum à priſtino ſuo ſpiritu Societas hæc degeneraret, ſed membris hinc & inde dilapſis penitus ſolueretur. Denique cum ſanctæ humilitatis ac paupertatis exemplis multum, adhuc puſillus hìc ordo profecerit, ſi nos jam populi honoratos & copioſos ſpectent, omnis ea præclara opinio in aduerſam mutabitur, cúmque multorum ſcandalo etiam bene gerendæ in poſterum animorum cauſæ janua præcludetur. Sed accumulare rationes neceſſe non eſt. In clementiæ veſtræ ſapientiæque ſinum confugimus: veſtræ nos fidei, veſtro patrocinio dedimus, orantes obſecrantéſque per Ieſu Chriſti ſanguinem, vt quoniam certum habemus, hinc impendere Societati noſtræ exitium, Veſtra Majeſtas pro ſua benignitate ac religione talia à nobis propulſet arceátque diſcrimina: & puſillum hunc recens editum gregem ſuum exiſtimet, ſaluúmque

&con-

Digitized by Google

& conſeruatum velit, ad Majeſtatis æternæ gloriam; quæ religioſiſſimam Majeſtatem veſtram tueatur, aſſiduéque vberius cæleſtibus donis ſuis ornet & cumulet.

Hæ rationes, Ignatijque authoritas, ac præcipuè Deus, qui ſuorum famulorum pia vota reſpexit, ita Ferdinandi animum inflexere, vt Oratorem ſuum extemplo monuerit, vt inchoata ab actione, & jam pæne transacta deſiſteret. Iam verò Rege ipſo mutato, cui gratificari Pontifex vellet, quid ni & ipſe Pontifex Ignatij præſertim rationibus animo obuerſantibus mutaretur? Non enim eæ duntaxat, quas ad Ferdinandum epiſtola breui perſtrinxerat, ſed aliæ permultæ cauſæ grauiſſimæ Beatum virum incitabant, vt contra primos honorum impetus tanta contentione pugnaret.

Subijciuntur deinde his aliæ & multæ, & prolixæ cauſſæ quibus oſtenditur nulla ratione expedire, vti Societas honores Pontificios & officia ſuſcipiat. Iaius hoc metu ſolutus, ingentibus exultare gaudijs, ac tum demum felicem ſe ac beatum exiſtimare & prædicare. Rogatu dein Ducis Ferrariæ Herculis, & miſſu Pontificis & Ignatij, à quibus Dux Iaium impetrarat, Ferrariam profectus animum vtriuſque Principis moderandum atque omnem pietatem ac religionem traducendum ſuſcepit. Nec tamen in aula verſabatur, ſimul enim ſe Principi ad officium ſtitit, mox ad valetudinarium ſe contulit, affirmauítque, multo ſe libentius inter ægrorum pedores ærumnáſque verſari, quàm inter odores Aulæ, blanditiáſque & delicias Curiæ. Non tamen intermittebat intèrim alias Societatis functiones. Aures confitentibus non ſolum Principibus, & Principum filijs ac nobilibus præbebat, ſed populo & quicunque ad illius pedes accidebant, quos omnes matutinis concionibus, & pomeridianis prælectionibus ad pœnitentiam excitabat. Vt illi vix tantos inter labores reſpirare parumper liceret. Dum ita Ferrariæ Iaius deſudat, inclitus Boiorum Dux Guilelmus, quem quartum numerant, à Pontifice & Ignatio tres Theologos impetrat, ex quibus ſingillatim Iaium expetierat, cujus deſiderium nec Academia Ingolſtadiana, nec princeps diutius ferebant, tantam prioribus annis, & famæ, & nominis, & virtutis exiſtimationem ſibi pepererat & conciliarat. Nec tantam Germaniæ neceſſitatem Hercules potuit negligere, qui quamuis ægrè, Iaium à ſe dimiſit, vt majoribus alibi periculis occurreret. Socij erant Iaij Salmeron & Caniſius. Hi Pij & Sancti Societatis Triumviri Boiariam ingreſſi poſtquam Monachium

peruenerunt à Guilielmo Principe tamquam è cælo miſſi, ſunt accepti, qui illos amiciſſimè complexus Leonardo Eckio ſummo Cancellario vnicè commendauit, qui noſtrorum curam non ſecus, ac ſuorum geſſit, noſtriſque ab eo tempore familiariſſimè vſus eſt. Nec minoribus inde plauſibus Ingolſtadij ab Academia ſunt excepti. Nam & Mauritius hierarcha Aiſtetenſis, qui Academiæ Cancellarius eſt, & Doctores omnes atque Magiſtri ad eos conſalutandos in diuerſorio, ſummo conſenſu prodierunt, publicáque orationis gratulatione conſolati ſunt, quibus ſubitò & eleganter omnium nomine Caniſius reſpondit. In eodémque hoſpitio cum conuiuium apparaſſent, vnà omnes epulati ſunt. Poſtero die in Collegium quod vetus appellant, cum honore deductis, ſua cuique habitatio percommoda cum Inſtrumento biblico & domeſtico aſſignata eſt. Salmeron Apoſtolum Paulum, Iaius regij Vatis Pſalmos, Caniſius Theologiam Scholaſticam ex Magiſtro Lombardo orſus eſt explanare. Deinde initium ſexto Cal. Decembris à Salmerone & Caniſio docendi orationibus æquè doctis ac gratis factum eſt, vt doctiſſimi quique typis vulgandas eſſe contenderent.

Iaius in ea Academia jam antè notus ad initium ſequentis anni primordia diſtulit. Et adfuit cœtus omnis ſapientum, vniuerſáque Academia, quæ & ſubinde honeſtiſſima ſua de Patrum eruditione judicia hiſce verbis expreſſit, ac typis etiam vulgauit. *NVPER. QVANTAM. LAETITIAM. CEPERIMVS OMNES. EX. ADVENTV. TRIVM. THEOLOGORVM. CLAVDII. IAII, ALPHONSI. SALMERONIS. ET. PETRI. CANISII. VIX. DICI. POTEST. QVORVM. PRAESENTIA. NON. SOLVM. FAMAM. DE. IPSIS. EXCITATAM. NON. MINVIT. SED. ETIAM. AVGET. QVORVM. SINGVLARIS. IN. SACROSANCTIS. STVDIIS. SCIENTIA, TVM. IN. OMNIBVS. DISCIPLINIS EXERCITATIO, POSTREMA. SANCTIMONIA. VITAE EXPECTATIONEM. OMNIVM. EAMQ;. MAXIMAM NON. SOLVM. AEQVAT. VERVM. ETIAM. SVPERAT.*

Hoc nobiliſſimæ Academiæ de Patrum aduentu judicium fuit. Ab hoc initiò paulatim in Germania condita ſurrexere Collegia; Ingolſtadij, Monachij, Landſpergę, Ratiſp. in Boiaria, Dilingæ & Auguſtæ in Sueuia, Oenipõte & Halę in Tiroli, Vieñę in Auſtria, Pragæ in Bohemia, Lucernę, Friburgi & Brũtruti apud Heluetos, ac paſſim demum apud alios ſenſim im̃igrauit Societas. Sed dum hi tres Chriſti incliti heroes rem Catholicã Ingolſtadij ſimul promouent,

Digitized by Google

promouent, Epiſcopus Veronenſis in Italia, in cujus ciuitate Iaius ante biennium verbi Dei interpretem egerat, apud ſummum Pontificem, & Ignatium literis & precibus enixiſſimè inſtitit, vt è Germania Iaius Veronam reuocaretur. Id quod literæ S. P. N. Ignatij, quarum autographum mecum habeo, ex quo apographum Lectori hîc appono, quod minimè ingratum poſteritati futurum reor, oſtendunt. Eſt Epiſtola Ingolſtadium miſſa ad Iaium anno CIↃ IↃ L. cujus hæc verba ſunt:

Gratia & Pax Domini noſtri Ieſu Chriſti viuat ſemper, & creſcat in cordibus noſtris amor.

CHariſsime frater cùm ferè ante biennium Veronæ verbi Dei interpretem ageres, reuocatus fuiſti præcipiente ſanctiſsimo in Chriſto Patre ac Domino felicis recordationis Paulo III. vt ad petitionem Guilelmi glorioſæ memoriæ Illuſtriſsimi Ducis Bauariæ, vnà cum Doctore Petro Caniſio ſacras literas ingolſtadij profitereris. Noueris igitur Reuerendiſsimum Epiſcopũ Veronenſem tui abſentia vehementer permotum fuiſſe, ſicut etiam literis ſuis ad nos datis apertè teſtificatus eſt. Quare hactenus non deſtitit inſtanter agere apud ſanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Iulium III. donec ab eo impetrauerit, vt tu eo redires vnde euocatus fueras. Cùm autem ſummi Pontificis voluntati aut præceptis reluctari jure nec poſsimus nec debeamus (quanquam aliàs nobis tua Ingolſtadij mãſio magis probaretur) tibi per præſentes literas ſignificamus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt quamprimum & ante hiemem ingruentem in Italiam te transferre, ſine vlla mora aut cunctatione velis. Ne autem illuſtriſsimi Principis Alberti animus hac tui reuocatione vel minimum offendi valeat, in cujus gratia & beneuolentia promerenda omnem noſtram operã & ſtudium

ponere parati ſumus, néue celeberrima Ingolſtadienſis Academia, quicquam detrimenti in ſtudijs Theologicis pati poſsit, de qua certè quàm plurimum bene mereri & cupimus & ſtudemus, in locum tuum deſtinamus, Doctorem Nicolaum de Gaudano natione Germanum, virum cum morum pietate tum ſingulari Theologicæ Profeſsionis doctrina præſtantem, de quo plurima ſibi polliceri poterunt ſacrarum Literarum ſtudioſi. Hunc autem non ita diu in via cunctaturum arbitramur, quin ad ſummum infra menſem Septembris Ingolſtadium ſit peruenturus. Proinde cum hanc ſummi Pontificis voluntatem eſſe intelligas, vt tu huc redeas, & nos in communem Magnificæ Ingolſtadienſis ſcholæ vtilitatem alterum loco tui ſubrogemus, non putamus aliquem fore, qui aut noſtrum officium in hac parte meritò deſiderare, aut tuam in Italiam translationem juſtè culpare valeat, ſed vt quiſque prudentis, ac candidi pectoris ita eum æqui ac boni conſulturum eſſe hoc Pontificis Maximi Mandatum non dubitamus. Vale in Domino, & me tuis fratrúmque tuorum precibus commendatum habeas apud Deum, cujus immenſa & ſumma bonitas dignetur gratiam nobis affluenter communicare, vt ſanctiſsimam ipſius voluntatem ſemper in nobis ſentiamus, & eandem perfectè exequi valeamus. Datum Romæ Kalend. Auguſti, Anno Domini 1550.

Tuus in Domino

Ignatius.

Enimuerò

Digitized by Google

ENimuerò huic Iaij profectioni, quam etiam Albertus Boiorum Dux impedijſſet, Otho Truchſeſſius S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Auguſtanus interceſſit: qui Iaium à ſum̃o Pontifice impetrauit, ad reſtituendos Eccleſiæ mores, & ad rem Catholicam in Cæſariano conuentu, qui propediem erat habendus Auguſtæ, promouendam. Nec ea res ingrata erat Ignatio, cui perſuaſum jam erat Iaij operam longè alibi vtiliorem fore. Abijt Ingolſtadio cum Iaio etiam Salmeron alio euocatus, quos ambos multi Academicorum multis lacrymis per longum viæ ſpacium proſecuti ſunt. Iaio Nicolaus Gaudanus Ingolſtadij ſuffectus eſt, vt ex literis S. Ignatij didiciſti, Salmeroni Schorichius, qui Caniſij Socij vtilem Ingolſtadij Studioſæ Iuuentuti operam aliquamdiu nauarunt. Viennam poſtea auocati, quoad Ingolſtadij Collegium abſolueretur.

Iaius autem Auguſtæ Vindelicorum in conuentu Cæſaris ac Principum rem præclarè geſſit, & in tanta Procerum frequentia diuerſarum nationum mortalibus ſtrenuam ac ſalutarem operam nauabat. His conſilio, illis ſtudio ac labore, omnibus vitæ exemplis & aſſiduis ad Deum precibus aderat. Non paucos ab hæreſum errore deduxit, in ijsque adoleſcentes aliquot bonæ indolis ac doctrinæ, innutritos in ea fæce. Multorum præterea correxit mores, pérque exercitia Spiritus, ſacerdotem prænobilem atque opulentum, quod etiam ad exemplum magnopere valuit, penitus immutauit. Itaque ſubmotis ille domo parum pudicis tabulis, & quicquid hujuſmodi ſiue ſculptum ſiue textum, ſiue etiam pictum inerat venenorum, religioſa argumenta ſubſtituit. Caſtigata conuiuiorum luxuria, diuinis jam epulis, quas ferè quotidiano ſacrificio libabat, delectabatur. Quicquid in equorum ſtipatorúmq; ſumtuoſam profundebat jactantiã, in opera vertit miſericordiæ Deniq; & pro garriendi caſſa dulcedine, jam Dei Sanctorúmq; Doctorũ congreſſu, quorum verſabat volumina, tenebatur. Hæc Iaius, inquit Orlandinus, Auguſtæ, & alia præclarè dum gerit, demũ & Collegijs in Germania condendis aditũ patefecit. Nã Labacenſis Antiſtes cùm plurimum illi tribueret, ſpeciménq; de cetera Societate ex eo caperet, Regi Ferdinãdo, cui⁹ Confeſſionibus & Eleemoſynis præerat, valde ſuaſit, vt ad Viennenſẽ Academiã aliquot de Societate Theologos aduocaret, & ad pereñem com̃oditatem ipſi Collegium Societati Vieñæ fundaret. Accepit libenter pius Princeps eum ſermonem: cúmq; ex alijs & ipſo Iaio, quæ Collegiorum noſtrorum eſſent inſtituta, quę opportunitates p. 327. n. 103.

 cognoſſet,

cognoſſet, omnino induxit animum rem primo quoque tempore ad effectum deducere, deque ea literas ad Ignatium, atque ad ipſum Pontificem continuo dedit, quę in exitu anni perlatæ ſunt Romam.

Itaque Ferdinandus Cæſar ſequenti anno, qui fuit à Chriſto nato CIƆ IƆ LI, impetratis ab Ignatio tredecim Socijs, Viennæ Societati Collegium inſtituit. In Academia alijs alias prælectiones exorſis, Iaius Epiſtolam Pauli ad Romanos cœpit publicè explanare, quo plures haberet anſas ad reuincendos hæreticos, quem tamen anno ſequenti ſupremus rerum omnium vitæque & mortis arbiter Deus ex plurimis laboribus, quos multis annis varijs in orbis partibus & prouincijs exanclarat, ſubduxit. Mortuus octauo Idus Auguſt, non diuturno illo quidē grauiq; morbo, ſed ſummo languore confectus, ac potius continenti opera zelóque Domus Dei conſumptus, ſacramentis ritè nouiſſimis communitus, æquè carus domeſticis & externis in cælum abijt, vt eximia ejus virtus & perſpecta vulgo ſanctitas pollicetur. Quanta beneuolentia Viennenſis eum proſequeretur Academia, mœror & amplitudo funeris indicauit, quo ad ejus cohoneſtandas exequias vniuerſa conuenit. Quod metus erat, ne templum, quo Socij tunc mœnibus proximo vtebantur, breui ingruente hoſte, neceſſe eſſet profanum facere, ampliſſimè Franciſcanos apud Patres, à quibus plurimum diligebatur, in templū S. Nicolai (quod poſtea ipſis ad S. Hieronymi transgreſſis, Orphanorum fuit) elatus eſt, & multis lacrymis decoratus, nobili comitante Doctorum corona, & flore ipſo Academiæ Iuuentutis. Is in amplificanda, propugnandáque religione Catholica apud Italos & Bauaros, Sueuos, cæteróſque Germanos magnopere laborauit. Is in Auguſtano alijsque Comitijs pro Eccleſia Sancta Romana ingenti Catholicorum bono, ſtrenuè fortitérque ſe geſſit. Multum ſiue apud humanarum, ſiue diuinarum rerum potentes autoritate valens & gratia. Is Hæreticorum contra mendacia eouſq; reſtitit, ac repugnauit, vt ejus illi admiratione doctrinæ in Saxoniam ad ineundum cum ſuis magiſtris, miniſtríſue certamen importunis eum precibus inuitarent. Quo tamen ille Viennenſi fundando Collegio implicatus conſtrictúſque concedere pro voluntate non potuit. Is Catholicos apud Germanos Societatis nomen, originem, progreſſionem, ea dicendi prudentia, facultatéque perſecutus eſt, vt eorum ſibi animos, voluntatéſque conciliarit, & ad ipſius Societatis vſus adjunxerit. Vir fuit facillimis naturæ moribus, ore jucundus

Digitized by Google

dus atque hilaris, grauitate comite ſuæ perſonæ conſentanea, patientia paupertatis ornatus, quamuis in vſu frequenti Magnatum detrito viliq; cultu ſpectandus, nec quidquam admittens, etiamſi multa illi deferrent. quo decora paupertatis ſuæ minueret. Studio precationis & meditationis excellens, prętérq; alia ſingulis diebus tum caput è cætera Chriſti Domini vita pro tempore, quod repræſentabat Eccleſia, tum vnum è ſacris cruciatibus retractabat. Tenax temporis atque parcus, mira id ſubtilitate partitus in vitæ quotidianę functiones, mira pręſcriptum tenens conſtantia: moderatus in congreſſu, atque in omni actione modeſtus. Nihil in eo inſolens, nihil arrogans, nihil elatum. In diſputationibus ea vi atque modeſtia, vt orthodoxos valde confirmans, aduerſariorum errores conficeret, nil læderet voluntates. Docendi ratio in ſcholis plana, diſtincta, firma. Grauiſſimas de juſtificatione, de Prædeſtinatione, de Fide, atque Operibus Quæſtiones, & id genus, ijs neceſſarias locis atque temporibus, facilitate ac felicitate maxima euoluebat & explicabat. Tergeſtinorum Epiſcopatum, vt ſupra demonſtratum eſt, tanta conſtantia rejecit, vt quamdiu ſubeundi tanti oneris metu ſuſpenſus incertúsque fuit, in perpetuo quaſi luctu lamentisq; jacuerit. Qua deinde ſolicitudine releuatus, ad priſtinam hilaritatem jucunditatémq; ſe retulit. Vbi deceſſit, Angelus Dei, Pater, Patronúſque Catholicorum vulgo nominabatur. Is autem qui hæc ſcripſit, Caniſius, etiam Germaniæ Apoſtolum appellare non dubitat. Ingolſtadienſis Academia, vbi Iaius aliquando docuerat, inter cætera Theologorum monumenta, quæ ibi in Theologiæ ſchola viſuntur hoc illi, nomine Ieſu pro Inſignibus picto elogium poſuit:

Claudius Iaius Sabaudus, Theologus Doctor & Profeſſor Societatis, vir placidiſsimorum morum, & qui doctrinam cum pietate perpetuo conjunxit. Hic, ſi quiſpiam alius in hac ſchola, Sanctitatis opinionem apud ſummos, medios, infimos ſibi comparauit: cunctis æquè carus & ſalutaris; qui etiam ex prima decade fuit eorum, qui Sanctæ Societatis Ieſu autores & fundatores extiterunt. Hinc euocatus Viennam Auſtriæ, ad ea quæ ſemper in pectore tenuit, & ob oculos habuit

buit æterna migrauit gaudia, anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo.

Hæc de Iaio noſtro potiſſimum ex Orlandini de Societate hiſtoria ſunt depromta, plura quam vel Ribadeneira in vita Ignatij, vel nos in Caniſio commemorauimus, vt qui ex Romano Societatis carthophylacio quod in promtu habuit, plura cognoſcere potuerit. Dignus & his pluribus Iaius.

VVIL-



O Guilielme decus Norberti, gloria Patrum,
Quantumuis Patribus flos Guilielme minor.
Adiecit virtus paucis quod defuit annis,
Fronte puer tenera, religione Senex.

O dilecte Deo iuuenis cui concinit æther,
Et precibus iungunt, astra vocata preces.
Non miror gratos tua funera ſpargere odores:
Spargere odore ſolet balſama VIRGINITAS.

VVIL.

Digitized by Google

Digitized by Google

VVILHELMVS ROTHENSIS E S. NORBERTI ORDINE.

Ex vita Wilhelmi à R. P. Martino Mertzio Antuerp. edita. Et literis P. Wilhelmi Madericœnobij Rothenſis Religioſi. Vixit anno 1588. 28. Martij.

NEmo, reor, me reprehenſum ibit, quod VVilhelmum hunc religioſiſſimum & planè cæleſtem Iuuenem, quamuis non lege nationis, ſed jure ditionis Bauarum in Bauariæ Piæ cenſum referam: tranſijt enim patria illius paucis ante annis in jus & ditionem Sereniſſimi Principis Maximiliani S. Rom. Imperij Septemuiri, cùm antea nobiliſſimis Sueuiæ Proceribus pareret. Mindelhaimium inquam, (quod opidum medio ferè interuallo diſtat Memminga Sueuorum vrbe libera & Landſpergâ Boiorum) quæ patria eſt & natale ſolum hujus noſtri innocentiſſimi Iuuenis VVilhelmi, cognomento Eiſelin, quaſi tu diceres Ferreoli. qui illic bono loco natus, cujus cognata familia hodie Conſularis adhuc in Magiſtratu verſatur. Editus eſt in hanc lucem anno P. C. N. CIↃ IↃ LXIV. mox ipſe lux Mundi non vltima certè Ordinis ſui, & Dilinganæ Academiæ Illuſtriſſimum etiam ſidus & aſtrum futurus, quo merito & religio ipſa Norbertina & religioſum Dilingæ contubernium, vbi primos tantæ pietatis ſpiritus hauſit, gloriari poteſt. Parentes dum teneram ejus indolem ad pietatem propenſam animaduertunt, ſtudijs applicare cogitant, ſed in ea ipſa cogitatione occupati, morte præcipiuntur, quæ vtrumque graſſante publica per id tempus lue, è viuis abſtulit, & VVilhelmum omni ope domeſtica deſtitutum, pupillum reliquit. Sed Orphanorum Pater ac Tutor optimus Deus VVilhelmum non deſeruit, qui per proximos cognatos, id egit vti puer Memmingam ad Spiritus S. Religioſam ædem amitteretur, ibíque R. P. Georgij Harerij ad D. Virginis illic Parœci curæ committeretur, & in ejuſdem conuictum pacta menſæ pecunia admitteretur. Vbi adoleſcentulus Memmingam venit, ita ſe Parocho probauit, vt illico charus omnibus domeſticis haberetur. ab omni quippe conſortio improbæ juuentutis abhorruit, & dies vel precibus, vel totos literis impendit. Eſt illic ſacratarum Virginum Contubernium, ad quod ſubinde VVilhelmus itabat, ab eíſque ſalutaria viuendi præcepta hau-

riebat, & verò multum ex earum pia cõſuetudine pius adoleſcentulus proficiebat. Qua re animaduerſa, Parochus qui curam ejus agebat, ſuarum partium eſſe judicabat, vti VVilhelmum ad diuina tantùm aſpirantem, religioſis viris commendaret. Erat id temporis in Rothenſi Cœnobio eximius & magnæ vir auctoritatis, præſésq; Monaſterij & Sueuicæ ſui Ordinis Prouinciæ Præfectus Martinus Ermannus, qui veterem Religioſæ vitæ diſciplinam in cœnobia reducere omnibus modis conabatur, cujus ſacer Conuentus Rothenſis jam optimè audiebat. Huic ergo Harerius Reuerendo Abbati Ermanno ſuum alumnum VVilhelmum commendauit, obnixéq; rogauit, vt ad ſcholas Rothenſes adeóque in cœnobium ipſum tirunculus admitteretur. Dictum, factũ. Multum poterat gratia Harerius apud Abbatem, & placuit VVilhelm⁹ Patribus Religioſis, & in tirocinium ab ijs eſt receptus, vbi de pietate illius & morum integritate, vitæque innocentia nulla vnquam fuit querela. In literis tamen tardius progrediebatur, quod natura illi memoriam parum expeditam tribuiſſet, & ingenium nonnihil hebes impertita eſſet; quæ tamen ille vitia tardioris indolis improbo labore compenſare ſtudebat, vti Patres illius conatibus contenti, poſt exactum tirocinij tempus, in ſuum illi cætum admitterent & religioſo cultu, qui candidus eſt apud illos, indueretur, vt ipſo veſtis candore de moribus candidis & innocentibus induendis & conſeruandis (veluti recens tinctus) admoneretur.

Cùm ergo ſub finem tirocinij vehementi deſiderio trium ſolennium votorũ publicè edẽdorũ teneretur, & à Patribus enixè peteret, vti ſibi liceret, ſe totũ Deo conſecrare, impetrauit, quod toto affectu expetebat, & ad deſtinatum diẽ in æde ſacra ad ſumum altare tria paupertatis caſtitatis, & obedientiæ vota publicè cum ingenti cordis gaudio, quo diuinitus inundabatur emiſit. Itáque ſe in cœtu ſuorum geſſit, vt quamuis ſubinde veteris Adami labes in ſe perſentiſceret, illas tamen per ſedulorum Patrum curam & animaduerſionem ſenſim penitus abolere conaretur, ad quã rem plurimũ illi contulit ſumma in rebus aduerſis, reprehenſionibus publicis & priuatis, & acerbis nonnunquã familiariũ dictis & irriſionibus patientia, adeo vt multis eſſet admirationi. Iam ſtudiorũ cauſſa Dilingam à ſuis Patribus cum contubernali ſuo miſſus, ibi primũ politiori literaturæ operã dedit, cúmq; vt antè dixi, durioris eſſet ingenij, ægréq; literas caperet, Cęlites aſſiduis precibus & pręſertim magnã Dei Matrem Virginẽ, cui perfamiliaris fuit, in vota

cœpit

cœpit vocare, nec fruſtra, ſic enim profecit, vti Magiſtris ſuis Doctoribus copiosè ſatisfaceret, adeò vt ipſe P. Ferdinandus Crendelius è Societate Ieſu Politioris Humanitatis Profeſſor publicè de illo teſtatus ſit: Iſte, inquit, Pius & Bonus frater (VVilhelmum indigetabat) plus ſuis pijs precibus proficit, quàm vos (reliquos diſcipulos compellabat) veſtro diurno nocturnóque improbo ac pæne inſano labore. *Sæpiſſimè* (inquit * auctor vitæ ipſius quam tribus libris deſcripſit) *viſus fuit ad ſuum Muſæum, cum ſtudia non procederent, aut ſi alicubi hæreret, nec, in quod incumbebat, percipere poſſet, in genua prouolutus, totum tempus feruentiſſimâ precatione conſumere, præſertim Roſarij B. Virginis recitatione, qua ratione eum plus hauſiſſe profectûs, quàm aſſiduâ ingenij exercitatione & defatigatione cognitum fuit.* Non ſecus ac D. Thomas Aquinas ſe plura de diuinis ſcripturæ ſacræ arcanis per preces cognouiſſe, quàm multa contentione literarum affirmabat. VVilhelmi ergo princeps ſtudium fuit rebus diuinis vacare, mentis & conſcientiæ latebras per aſſiduum, tum generale, tum ſingulare examen perueſtigare & excutere, ne qua mala fera vitioſitatis in illa ſtabularet. Interim corpus grauiter accipere, & verberibus clam excipere, ſetoſis & aſperis cilicijs torquere adeóq; atterere, vt per conſcientiæ ipſius Moderatores ſæpius admonendus fuerit, vt ijs in rebus modum adhiberet, nec ſe poſtea religioni & officijs negotijsq; majoribus inutilē redderet; nihil enim violentum eſſe diuturnū. Nulla deniq; virtus erat, in qua ſe non egregiè VVilhelmus exercebat, præſertim in ſui ipſius cognitione, contē-tu, injuriarū tolerantia, modeſtia animi, cultu diuino, ingenti erga ſacram Euchariſtiā affectu. Sum̄um verò illius ſtudium fuit, vt puriſſimum corpus & animū ab omni labe & ſordibus alienum poſſideret. Nihil audire, multo minus loqui, ne cogitare quidem quicquam ſuſtinebat, quod non eſſet caſtum, ſanctū, virgineum. Qua ratione ad eam aſpirauit in̄ocentiam vitæ, vt ab alijs Angelus audiret, & certè illis tam familiaris demū extitit, vt etiā preces Canonicas cum illo pręſentes recitarent. Nam audi quid hac de re vitæ Scriptor tradat: *Per ſingularem*, inquit, *& altiſſimam corporis animiq; integritatem, nec nō reliquas perraras ei virtutes in tantam cū Angelicis mentibus familiaritatem ac conſuetudinē venerat, vt ægritudinis ſuæ tempore, cū ſtatas Eccleſiæ juxta Ordinis ſui ritum preces (quas Horas Canonicas appellamus) Domino ſuo ſolus pſalleret, quod deuotiſſima ſemper feruentiſſimáq; mente præſtare ſolebat, Angeli ad eum cœlo delapſi alterna cū eo voce eas percurrerēt; ac gratiſſimū chorū conſtituerent. quod mirâ ipſe ſimplicitate Magiſtro ſuo faſſus, dicebat, eos (Angelos intelligebat) ad ſe venire, Precéſq; Horarias ſecū recitare.* l. 3. c. 4. p. 84.

* *Martinus Merzius Prior.*

Priuſquam domum è Dilingana Academia reuocaretur, quamuis iam æger, è Cælitibus illi præſens, nuncium mortis adfert, fore vt breui ſecũ ad cæleſtia gaudia tranſeat. Ex quo tempore impenſius ſe, contemtis omnib. humanis gaudijs, cæleſtiũ rerum contemplationi addixit, quãdo illi jam domum ex Academia, jubente præſule reuerſo, & grauiter decumbenti ipſa Miſericordiæ Mater, & optima Clientum Matrona ſe ſpectandam exhibuit, illúmq; alloquuta, ſupra quàm dici poteſt, exhilarauit, cęleſtiq; dulcedine permulſit & inũdauit, vti totus à reb. præſentib. abſtract⁹, in Deũ Deiq; Matrẽ ſemper defixus permanſerit; quod ex R. P. Georgio Kurzio qui illi à Confeſſionibus fuit, poſtea cognitum fuit.

Iam vltimus illi vitæ dies inſtabat, jam Patres fratréſq; ad excipiendam, & votis piacularibus animam proſequendã frequentes ad valetudinariũ manè concurrerãt, quibus ille denunciauit, irẽt, & modò preces in choro ſolitas abſoluerent, ſe priuſquam reuerterentur, non extinctum iri. Reuerſi ad decimam antemeridianã, cùm accenſos & repentè ſua ſponte extinctos cereos admirabũdi ſpectant, hoc quidem operâ hoſtis inferni factum credidere, quia mox, nemine ignem admouente, per ſe lucere rurſus angelorũ miniſterio cœperũt. Interim Regina Cæli duabus è cælo ſacris comitata Virginibus rurſus adeſt, & animã ſenſim è corpore digredientem excipit, ſecúmq; in cælum deducit. Deceſſit V. Cal. April. anno à Virginis partu CIↃ IↃ LXXXVIII, cum quatuor & viginti non amplius annos vixiſſet. Demortui vultus gratior floridiórq; fuit, quam viui, vt aduentores & ſpectatores cadaueris, illum dulci ſopitũ ſomno crederent. Quin & gratiſſimos Arabicóſq; ſpirabat odores, quod certiſſimũ intacti corporis & mundiſſimi animi fuit argumentum, quos etiã ſepultus efflabat, vt qui tumulum jacentis tranſirent, neq; quicquã de VVilhelmo illic condito ſcirent, mirarentur, vnde illa thura Sabæa, & admirãda thymiamata afflarent. Iam etiam magis ac magis illius gratia quamuis mortui in mortales ſe exerit. Opitulatur miſeris & malè affectis, curat inuocatus odontalgias, alióſq; morbos & corporis vitia emendat, nec fundere flos ille caſtitatis odorũ gratiſſimorũ aromata vnquã ceſſat. Apponam Epilogi loco, quæ nuper ad me vnà cum impreſſo de ipſius vita libro R. P. Guilelmus Maderus ex eod. Rothenſi Cœnobio perſcripſit: *Mitto,* inquit, *R. V. quod de VVilhelmo noſtro editum eſt; nam de ineditis nihil magnoperè ſcribendum video, quod in impreſſo non habeatur; niſi hoc ſolùm beatum illùm adoleſcentem, cujus memoria in Benedictione eſt, quo majori cultu afficitur, eo majores ſuæ gloriæ radios ſpargere;*

nam præter miram nobis, perpetuam tamen illi fragrantiam, quam quo quis purior, eo majorem experitur, etiam morbos curare incipit. certè Patrẽ quendam in VVeingartenſi Cœnobio grauiſſimis dentium doloribus repentè liberauit; & Auguſtæ nobilem quandam viduã ab improbis, & prædæ forſan imminentibus crudelem in modum vexatam, quietam eſſe non tam juſſit quàm fecit, vt taceam admirandas ſanè morum animorúmq; mutationes, quas in Nouitiatu noſtro communi, admirabundi quotidie cernimus, & ipſi Nouitiorum Magiſtri vnius VVilhelmi meritis & ſuffragijs acceptas ferunt. ad cujus lipſana quaſi ad aſylum quoddam quotidiani à fratribus concurſus fiunt. Accidit nuper Patrem quendam noſtri Ordinis fortè præterire eum ipſum locum, quo ſacræ illæ reliquiæ ſunt poſitæ; qui inexpectatò (neque enim locus ei antea indicatus fuerat) conſiſtere, mirari, interrogare demum quæ hîc vireta, quæ roſeta ſpirarent; nihil ſe vnquam ſimile aut diuinius odoratũ. Noſter qui deduxerat candidè fatetur, hac ipſa in ciſta, quam tranſirent, VVilhelmi noſtri oſſa pura puta ſine vllo fuco & pigmento condita jacere quidem & tacere, ſed manifeſto ſe odore etiam neſcientibus prodere. Hic rogat Pater aperiri ciſtam, ſibiq; theſaurum monſtrari, oſtenſum prouolutus in genua veneratur, & VVilhelmum perpetuum ſibi patronum deligit.

Epitaphium illius extat Rothi his verbis expreſſum:

DEO. ET. MEMORIÆ S. p. 118.

SISTE. GRADVM. VIATOR. HIC. SITVS. EST. F. VVILHELMVS. EISELIN. VIRTVTE. QVAM. AETATE. MAIOR. CAELO. QVAM. TERRA DIGNIOR. FLOS. INTER SPINAS. ET. INTER. FLORES. LILIVM. DECERPSIT FLOREM. DEVS. QVIA. PLACVIT. CARPTVS. DVO NOBIS. POST. SE. RELIQVIT. CHARA. PIGNORA. ODOREM. ET. CAVLEM. HVNC. FRATRES. ISTHAC CONDIDERVNT. ARCVLA: ILLE. PER. ORBEM FRAGRAT. CANDIDISSIMVM.

Obijt Anno Chriſti CIↃ IↃ LXXXVIII. Ætat. XXIV. Die XXVIII. Martij.

Habes pie Lector ex plurimis, adeóque tribus libris editis ſumma rerum capita ex illis delibata. Tu ſi libebit, ipſum tibi volumen non adeo magnum, nec multo ære redimendum comparabis.

Digitized by Google

VDALRICVS
HELFENSTAINIVS.

CIↃ IↃ XCIV.
Teſtibus præſentibus & oculatis, qui hodie pleriq; viuunt.
Lazius, Sueuia l. 8 p. 426 & ſeq.

ILluſtris, perantiqua & ſancta apud Sueuos antehac floruit familia dynaſtarũ Helfenſtainiorũ, año præterito 1627. in Rudolpho huj' fratre, qua de virili ſtirpe extinctorũ, qui cunabula, generiſq; origines ab Hugobaldo Comite Dilling. germano S. Vdalrici Pontificis Auguſtini fratre accerſunt, & in omni Germania ſupra ſexcentos jã annos incliti habentur. Agrum olim amplũ & vberẽ poſſidebant, quã Danubius Vlmã alluit ad quatuor & viginti millia paſſuum porrectum, oppido Geislingano & arce Helfenſtainiã, quam Burcardus Hugobaldo quarto loco nat', in faucibus montium conſtituerat, munitum. Nunc pleraque Vlma ſuæ ditionis fecit, arcémque euertit. In hac nobiliſſima domo multi heroës extiterunt cum virtute tum pietate illuſtres, quos inter & ille Ludouicus * Helfenſtainius fuit, qui cum Friderico Ahenobarbo in Orientem profectus ad Iconium Lycaoniæ caput, in ipſo ardore prælij oculis ipſe palam, & cum illo alij complures, etiam inter hoſtes non pauci, S. Georgium in acie pro copijs noſtris acerrimè propugnantem ſpectauit, juratúſque dixit, ſe etiam ad candentium laminarum contactum pro teſtanda veritate, ſi fides verbis derogaretur, paratum. Fuit ex eadem familia, qui in confinio mortis manum porrigebat, perinde quaſi egentibus ordine & numero ſtipem erogaret. Ejuſdem ſanguinis fuit Suicardus Helfenſtainius, qui Societati Landſpergæ Bojorum Collegium poſuit, in quo tirones ad Societatis normã inſtituuntur. Is in regio quondam epulo inter principes & dynaſtas æquales accubans, cum ſe calente jam conuiuio, proceres pro more nobilitatis majoribus poculis poſcerent, & vnus aliquis ex combibonibus grandem craterem vino coronatum manu teneret, videretúrque pleríſque major, quàm vt vno præſertim impetu ſpiritúque exhauriri poſſet, & is tamen obfirmatus, & parum ſobrius, (certè non ſobriè) diceret, ego vero, quamuis Pluto ipſe ſcyphum inſideat, exhauriam. Tum Helfenſtainius periculo vocis impiæ motus: Hoc verò ſupremum, inquit, numen prohibeſſit; ſimúlque dextrâ ſacra cruce jamjam orj pateram admouentem ſignauit, cum ſubitò cyathus effuſo temeto cum ingenti aſſidentium ſtupore diſſilijt potaturúmque

** Baron. an. 1190. tom. 12.*
Itin. Friderici.
In Boicis annal. 1189.

taturúmque

Digitized by Google

taturúmque peſtem & orcum, mortis & inferorum exitio in præſens liberauit.

Ex hac ergo ſancta Helfenſtainiorum familia ſatus Vdalricus, Monachij Bojorum, dum Rudolphus pater aulæ præſidem ageret apud Sereniſſimum Principem Guilelmũ Maximiliani Electoris parentem, anno 1626. terris ſubductum & cælo, vti certi ſperamus, inſertum, impuber ludũ literarium apud Societ. Ieſu Gymnaſiũ cũ Rudolpho fratre, obibat, & ſingulare pietatis & religionis muſarum tirunculis exemplum præbebat. Nam ſi quando tardiùs contingebat illũ claſſẽ accedere, in medio ſcholæ medióq; cuneo puerorum in genua ſupplex humi procubuit, junctiſque & ſublatis in cælum palmulis Deum velut è cælitibus vnus veneratus eſt. Cùm pro conſuetudine gentis, illa nocte quæ S. Nicolai ferias præcedit, munera à parentibus puerilia plumulæ, pugiunculi, electuaria, aliáque infantium crepundia & cruſtula clam ingererentur, ipſe poſtridie ſubtriſtis nullum apud parentes lætitiæ ſignum præ ſe tulit, cùm aliàs geſtire gaudio, oſtentare beneficia, prædicare dona ſoleant S. Nicolai. Mirantibus domeſticis, quærentéque matre, Ecquid eſt Vdalrice? ſatíſne placent xenia Nicolai? Abnuente puero; quid ergo expectabas? Quadratum, inquit, & ſacratum pileum, qualem de Societate Ieſu ferunt. Aperuit nempe pius puer, quorſum animo collinearet. Sed piam mentem æterna mens reſpexit, quam vt ne mutaret, vitã cum morte commutare juſſit. Ergo cùm annum agitaret vndecimum, dum è claſſe literaria domum redit, in via concidit, reductus æger domum ex varijs, & ecthymatis, vt Medici vocant (morbo pueris infeſto) puſtulæ & hulcuſcula in ſumma cute erumpunt, quibus & oppreſſus & extinctus eſt. Cum haud procul abeſſet ab vltimis, & parentes mœſti lectum aſſiſterent, vitámque dulciſſimi filij in ſpeciem conſolabundi, reuera deplorarent, repente puer; tacete, inquit, non auditis concentum muſicum? ſuauiſſima cœlitum hæc ſymphonia fuit Vdalricum ad meliora gaudia, & æternas Deo laudes canendas euocantium: nec diu prouixit. Exemplum pueritiæ; nam ſi innocentiæ imago depingenda fuit, ab Vdalrico ſumi forma potuit, adeo etiã in vultu, geſtu, moribus, vita & morte virtus ephebi eluxit. Epitaphion ipſi tum præſentes affiximus, cum * funus in patriam VViſenſtaigium Helfenſtainiorum toparchiam efferretur & referretur, cujus vltimum duntaxat verſum mutauimus. * 1194.

Hîc patris effigies, matris cubo vita dolórque
Poſt tres non totas raptus Olympiadas.
Natales non jacto meos, nec imaginis vmbras,
Quamuis illuſtres tangat origo duces:
Vlricus primo cecidi flos nobilis æuo,
Nec tamen annorum de breuitate queror.
Sat vixi lacrymis, lachrymas abſtergite mecum,
Quam mihi vita breuis, tam fuit vrna leuis.

De eodem.

Cœleſtes audire cupis prope funera cantus?
Exemplum vitæ ſit mea vita tuæ.
Mutaui terras cœlo, luctúsque triumphis,
Cur luctum vobis gaudia noſtra ferunt?
Viuat vterque parens, valeant cum fratre ſorores,
Viuere nunc cœpi, mortuus ante fui.

Ab innocentiſſimo puero non abijt innocentia filiolæ Rudolphi fratris Vdalrici, de quo modo ſcripſi. Hæc enim (vti mihi coram expoſuit Illuſtriſſimus Princeps à Zolleren, qui hodie Præfectus prætorio Palatino Monachij eſt) hæc, inquam, quinquennis puella Rudolpho patre in mortem decumbente, quæſiuit à R. P. Marquardo, qui parenti id temporis à confeſſionibus fuit, è D. Franciſci familia, an liceret cum Deo de vita parentis paciſci? ſe velle ſuam pro patris vita offerre. Precari potes, inquit religioſus Pater. Precata eſt, impetrauit, ægrotauit, mortua eſt: Rudolphus reualuit, reuixit, vixítq; poſtea diu, præterito demum anno extinctus.

R. P. CA-

Digitized by Google

R. P. PETRVS CANISIVS.

P. Caniſius non vno nomine venit in cenſum popularium Boicæ Sanctorum; nam & apud Ingolſtadianam Academiam cæleſtium literarum Doctorem Petrum Lombardum, quem M. ſententiarum appellant, publicè explicauit, & Academiæ Rectorem egit, & populum pro concione ad Chriſtianam vitam erudiuit, & Societatis colonias auctore ipſo Boiorum Duce Alberto V. Ingolſtadium & Monachium deduxit, Guilelmo Alberti filio Landishutæ duobus annis à concionibus fuit, ſocijs, per omnem prouinciam ſparſis, totis viginti annis præfuit. Vitæ porrò morúmque ſanctitas, & in omni vita, & poſt exactam illam, admiranda paſſim opera quæ natura ipſa poſſit mirari, meritò Caniſium ſyllabo Piorum inſerunt. Hîc ego qui primus res ab illo geſtas tribus libris ante paucos annos in lucem vulgatis expoſui, tantùm ſumma rerum capita perſequar, & ea potiſſimum quę ad mores ejus & vitæ ſanctimoniam pertinent, è quibus ſi quid à me tum prætermiſſum eſt, ex Franciſci Sacchini & Iacobi Kelleri Patrum Societatis noſtræ, qui poſt me de eodem tradidere, jam adnectam.

A.C. 1597. XII. Cal. Ianuar. Ex vita ejus à me ſcripta. Ex Franc. Sacch. Ex Iacobi Kelleri de eod. ſcriptis.

Caniſius Belga genus, Sicamber gente, ſeu Gelder, Nouiomagenſis domo, patrem habuit Iacobum, virum literis & eloquentiâ opibúſq; & honoribus conſularibus inclitum, matrem Aegidiam Hônvvingam, cujus majores Siluâ-ducis Nouiomagum commigrarunt: auum Theodorum dicunt. Lucem primam hauſit Caniſius 8. Id. Maias p. c. n. 1521. Domi dum ſtudiorum elementa perdiſceret, ſæpe à turba diuertebat, & ſola loca captans in preces fuſus numini ſupplicabat, teneráque latera moleſto ſetoſóque thorace diuexabat. Ipſis Liberalibus cum genus humanum in gaudia corporis effunditur, genióque liberaliter indulget, ipſe remotis Bacchi phialis pro ipſis debacchantibus purum è fonte laticem aquæ, vini abſtinens, hauſit, vti velut alter Iobus pro filijs in orbem epulantibus, ipſe pro genere humano abſtinentia litaret. Oblectamenta pueritiæ ejus non erant quæ hodie plurimorum, pleriſque omnibus minùs nota: Sed quibus futuræ

Digitized by Google

ſanctitati & religioſæ vitæ proluſit, inter ſodales meliores ſacerdotem agere, odaria pſallentium æmulari, eccleſiaſtico ritu pro concione circumfuſam adoleſcentum coronam ad virtutis ſtudia exhortari, ſacras ædes frequenter obire, & ardentes ad ſacri corporis Chriſti præſentiam preces ſternere. Ipſe porrò florem corporis intactum cuſtodire, non à rebus duntaxat fœdis velut peſtibus animorum abhorrere, ſed nullam etiam prætextatam vocem à verecundia alienam ad aures admittere.

Pueritiæ reſpondit adoleſcentia, niſi quod cum ætate creſceret & virtus, & quotidie ad maturitatem proficeret. Sub annum quippe quintum decimum ætatis à parentum complexu auulſus Coloniam ad excolendum literis melioribus ingenium miſſus, numinis ductu ad aureos Martyres diuertit, hoſpitémque Andream Bardonizium ſortitus, Theologiæ ſacris initiatum, magiſtrum verò morúmq; formatorem Nicolaum Eſchium virum ſacrum, & omnium præceptorum vnicũ exemplum, apud quem Caniſius veræ ſanctitatis poſuit tirocinium; cui omnia arcana pectoris vulnera, affectus, ſenſus, cogitationes quotidie aperuit, & poteſtatem in ſe fecit animaduertendi, prout judicaret meritum fuiſſe. Itaque tanquam ſubacta cera, ſequebatur manum fingentis Petrus: miſericordia cum illo nata videbatur, adeò in egentes effuſus, vt cum non eſſet quod largiretur, id quod chariſſimum habebat diſtraheret, libros inquam, quibus quoquomodo carere poterat, pauperioribus impertiretur. Mortis vt aſſiduam menti imprimeret memoriam, inter libros & calamos ad menſam ſtatuit cadaueris caluam, vti cum phyſicis diſciplinis ethicam conjungeret, ne dum proficeret in literis, deficeret in moribus. Interim cum pares, hoc eſt maximos, in literis & virtutibus progreſſus haberet, & anno vndeuiceſimo in contubernio, quod *montanum* vocant, decurſis philoſophiæ ſpacijs laurea inſigniretur, magnámque ſibi ſapientiæ & eloquentię laudem comparaſſet, ac parentes illum ad ciuile jus Coloniæ, & pontificium Louanij ſuccedentibus annis applicarent, opimáſq; conditiones ſiue politicam vitam ſequi, ſiue eccleſiaſticam ſumere togam ſtatuiſſet; offerebant, illinc nobilem & opibus pollentem ſponſam, hinc magnificas Canonicorum epomidas oſtentabant, quin & infularum quoque ſpem Caniſio faciebant; & fortaſſe hæſiſſet in flexu ætatis ad metam, niſi Eſchij diligentia & tutela periclitantem ſeruaſſet, cùm domo ibi diutius hærere, & laxare habenas diſciplinæ cæperat, ſecum abſtractum, ſibi prioribúſque vitæ inſtitutis

reſtituiſſet.

Digitized by Google

reſtituiſſet. Trajectis ergo Sirenum ſcopulis, quæ juueni paſſim inſidiabantur, jam in altum euectus, ardere cæleſtibus deſiderijs cœpit, totúſque in Deum & religionem ferri, incertus ad quem religionis portum nauim appelleret.

Cum inter hæc Moguntiam ad Fabrum veniſſet, viſus ſibi eſt non in hominem, ſed in cœlitem aliquem incidiſſe; tanta Fabri virtus erat, & conjuncta cum cœleſti doctrina innocentia. Imbuit illico Faber Caniſium rerum cæleſtium cognitione & ſemotum à ſtrepitu turbarum, docuit penitius noſſe Deũ, & quem in finem à Deo conditus eſſet, qua via modóque idem colendus. Oſtendebat Caniſium Caniſio per ſui ipſius cognitionem, docebat omnes vitæ culpas ab annis primis contractas, confeſſione repurgandas. Ducebat illum per extrema hominis ad æternitatis contemplationem; mortem, judicium, inferos, cœlum ob oculos ponebat, quorum aſſidua meditatione deinceps ab omni labe peccati abſtineret, & omnem vitam ad virtutem componeret, eam demum eſſe certiſſimam ad ſempiternam vitam ducem & magiſtram.

Hoc magiſterio imbutus Caniſius negauit ſe ab ejus latere diſceſſurum; illum haud dubiè eſſe ex ijs, quos ex vaticinio domeſtico ſacrarum fœminarum ſecuturus dicebatur, votum concipit Societatis ineundæ, promittítque omnia majorum imperia ſe ſtrenuè exhauſturum, patrimonium omne ex ejuſdem Societatis conſilio in miſeros tributurum: caſtimoniam jam ante Deo dedicarat. Ita Deo initiatus rudimenta religionis virtute jam veteranus ſubijt, & Coloniam remiſſus, vti ſtudia ſanctiora proſequeretur, ibi Fabrum religioſis viris apud Carthuſianos ita commendauit, vt inuitatus Moguntiâ adeò patres D. Brunonis ſibi deuinxerit, vt nuſquam certiores liberalioréſque in ſe amicos & patronos laudarit. Fabro in Luſitaniam profecto Caniſius Nouiomagum ad patrem cum morte luctantem auocatus accurrit: ad cujus primum pater conſpectum, ſeu gaudio filij præſentis exanimatus, ſeu fatis hoc agentibus illico expirauit. Qua re afflictus Petrus, cùm Deo ſalutem parentis infimis precibus lacrymiſque commendaſſet, diuinitus intellexit vtrúmq; parentem Iacobum inquam, & Ægidiam inter cælites beatos degere. Verſus inde ad opes paternas, fundos, prædia, agros, peculium omne in miſeros partitus Coloniam vocatu Fabri ex Luſitania jam reuerſi recurrit, ſecúmque tres eximiæ ſpei adoleſcentes adduxit, qui ſacris commentationib⁹ exculti pars ad nos, pars ad Carthuſianos diuertêre.

Caniſius

Digitized by Google

Caniſius interea Coloniæ ſuam adeo induſtriam, virtutem, doctrinam, prudentiam Academicis probarat, vt in omnium ore & oculis cum admiratione verſaretur, cúmque vererentur, ne à moderatoribus Societatis inde auocaretur, eo nomine literas ad eos dederunt, petierúntque vti ſibi Caniſium academiæ neceſſarium Coloniæ relinquerent. Quem ipſi deinde cùm ob notam ejus jam antè prudentiam, tum ſingularem virtutem maximis negotijs tractandis adhibuerunt, legatúmque ad Leodienſem pontificem, & Carolum V. aduerſus Hermannum Colonienſem archiepiſcopum, à fide Romana deficientem miſerunt; Otho verò Truchſeſſius, Auguſtanus antiſtes & Cardinalis Claudio eundem Iaio etiam ad ſacrorum patrum concilium Tridentum, & Bononiam ituro ſocium adjunxit. Ita Colonia auulſus Romam omnino acceſſit; inde juſſu conditoris & parentis Societatis Ignatij Siciliā cum alijs ingreſſus rhetoris, & eccleſiaſtæ munere per illum annum cum ingenti nominis celebritate fructúque perfunctus, Romam redijt, vbi vltimis ſe Deo & Societati votis aſtrinxit, & ſub autumnum in Boicam, petente Guilelmo gentis principe, cum Claudio Iaio & Salmerone amandatus, Bononiæ inſignia academica ſupremi honoris Theologus ſuſcepit, & inde rectà in Boicam profectus, apud Ingolſtadianam academiam maximum laborum fructum fecit. Petrum Lombardum pro more illius ætatis publicè explicauit, auditores ad vſum frequentiorem cœleſtium myſteriorum induxit, per Cineralia ad populum verba fecit, precandi rationem ſtudioſis literarum tradidit, vinctos in carcere adijt, ad ægros inuiſit, odia diſſidentium compoſuit. Iuuentutis mores rector academiæ, quantum quidem potuit emendauit, licentiam coërcuit. Defunctus magiſtratu pecuniam & ſtipendium recuſauit. Vicarium inde academiæ pro Cancellario, quod is qui eas partes ſuſtinuerat deceſſiſſet, Caniſium imponere academici conati, honorem penitus repudiauit; quod tanto magis ſunt admirati, quanto ambitioſius is gradus expeti ſolet. Sed Caniſius, non expleto Ingolſtadij triennio, vocatu Ferdinandi regis, mox Imperatoris, Viennam venit, ibíque fundamentis collegij jactis, juſſu regis conſcripſit doctrinæ Chriſtianæ epitomen, quæ poſtea Catechiſmi nomen accepit, qui cum maximo Chriſtianæ reipub. cōmodo in omnē orbē euulgatus, & in omnium prope gentium linguas verſus hodiéq; ab omni pueritia & juuentute ediſcitur. Caniſius Viennæ eadem quæ Ingolſtadij & majora etiam aggreſſus & ſcholas in academia, & con-

Digitized by Google

& conciones in templo habere, obire publicas cuſtodias, præbere aures confitentibus, ſolari afflictos, ex humanis corporibus hoſtes generis humani pellere, deſperabundis medicinam animi facere, cœtus ſacrarum virginum ad religioſã diſciplinam reuocare, excurrere etiam in ſuburbanos pagos, agreſtes docere euangelij doctrinam, rudem infantiam ad tirocinium Chriſtianæ vitæ numinísque cognitionem inſtituere, totam denique Auſtriam luſtrare: apud ipſum quoque regem defuncto eccleſiaſta Friderico Nauſea Viennenſi præſule, concionatoris munus fungi, ſed infulam ejuſdem oblatam pertinaciter reijcere; nec interim populum deſerere: bis feſtis diebus verba, primum ad regem, dein ad populum facere. Nec interea loci Academiam negligere, decurionem ejuſdem agere, mores juuentutis per contubernia ſparſæ componere, hæreticorum rabiem ſtilo, diſputationibus, concionibus retundere, odium illorum & conuitia maledictáque contemnere. Vocatus inde Pragam anno 1555. ibi quoque Societatis domicilium inchoauit, vbi frequentes impiorum inſidias eluſit, maximóſque labores exantlauit. Redijt inde in Bojariam, quod Albertus petierat, vt Ingolſtadiano Collegio initium faceret: inde Viennam & Pragam: totíque Societati in Germania jam paſſim ſparſæ præfectus eſt. Interim defungitur Romæ Ignatius, quò ad creandum nouum Societati præſidem proficiſcendum fuit. recurrit inde in Germaniam & Ratisbonæ in principum conuentu, in æde maxima, apud Cæſarem Ferdinandum pro concione verba facit, vbi in Auguſtani præſulis Othonis Cardinalis amicitiam familiarius intrauit. Deſignatur tum ad colloquium VVormatienſe cum hæreticis inſtituendum, quo, vitio hæreticorum, abrupto, ad ſuum munus redijt, & poſt collegium Ingolſtadienſe cœptum, colonias anno 1559. Auguſtam & Monachium deduxit, inde Oenipontem, tum Dilingam & Friburgum. adeò Caniſij opera Socij collegia complura per Auſtriam, Tirolim, Boëmiam, Batuariam, Sueuiam, Heluetiam, variáſque ſedes & domicilia obtinuere: Auguſtanum, inquam, Ingolſtadienſe, Dilinganum, Monacenſe, Viennenſe, Pragenſe, Oenipontanum, Friburgenſe quoq; collegiũ inſtituit. Vnde factũ eſt, vt ab nonnullis auctor Societ. vniuerſæ vulgò crederetur. ejúſq; nomen & publica ingenij monumenta & conciones ad Cæſarem & populum, munúſque præfecti prouinciæ, & ingentia interim facta paſſim prodigia magnopere celebrarent. Certè per Caniſij ſacros libros, & B. Aloyſius Gonzaga mirabiliter ad ſanctitatem profe-

Digitized by Google

cit, & princeps nuper Neuburgenſis VVolfg. Guilelmus ad Romanam eccleſiam potiſſimum eſt adductus. Vltimos vitæ annos Friburgi Heluetiorum poſuit, ibidémque viuus & mortuus vaticinijs & prodigijs haud parum inclaruit, quæ alibi copioſius explicauimus & Sacchinus enarrauit: Hic attigiſſe rerum capita ſufficit, & docuiſſe quæ puer, juuenis, vir, ſenex pro nomine Chriſtiano elaborarit, quando primam ætatem in literis & moribus conformandis poſuit, juuentutem & virilem ætatem in maximis laboribus, concionando, ſcribendo, diſputando, agendo, conſumſit; extremis annis totum ſe ſtudio precandi & ſcribendi emancipauit: auſímq; affirmare vnum Caniſium ab anno 1543. vſque ad 1597. per annos inquam 54. tantos retuliſſe ex laboribus fructus, quantos vix ſperare quiſquam ab vno potuerit. Tanti eſt vnum virum literis excultum, virtutibus ornatum Deo plenum in eccleſia verſari. Ita pauci ex primis Chriſti auditoribus & ſectatoribus vniuerſum orbem moribus corruptum, auro, Venere, vino perditum, cultu dæmonum execratum, orco demum penitus deuotum aggreſſi ſunt & expugnarunt. Mouit paſſim animos mortalium virtus Caniſij, rerum omnium contemtus, ſumma modeſtia cum ſummo ingenio, eruditione, eloquentia conjuncta, caſtiſſimus numinis cultus, ſtudium juuandi laborantem eccleſiam, inexhauſtus labor, preces aſſiduæ, victûs cultúſque frugalitas, quibus omnibus non hominibus duntaxat admirabilis, ſed ipſis inferorum monſtris formidabilis fuit, vt quocunque ille pedem figeret, illa ſedem relinquerent: hoc Auguſta, hoc Oetinga teſtatur. Cælitum verò tutela virum cœlitibus parem nunquam deſtituit, præſertim cura illorum apparuit cum Auguſtâ per Etalenſe iter Oenipontem peteret, & ex medijs aquarum molibus per cæleſtem ductorem ſubitò comparentem, ereptus eſt, qui poſtquam Caniſium periculo exemerat, repente diſparuit. Vixit annos 76. menſes 8. dies 13. natus 1521. mortuus 1597. XII. Cal. Ian. ipſo die D. Thomæ.

THEO-

THEODORICVS
CANISIVS
QVI FVIT PETRI EX PATRE FRATER.

Ann. Chri. 1606. V. Cal. Octob. Ex vita impreſſa & Petri Caniſij vita adjuncta Ex annalibus etiam Collegij Ingolſtadiani impreſſis.

NAtus hic Neomagi Sicambrorum, eodem Patre, diuerſa matre anno poſt Chriſtum natum ſeſqui milleſimo altero ſupra triceſimum; diſciplinis elegantioribus, Philoſophicis & Theologicis adeò celeriter excultus, vt altero & viceſimo humanam & diuinam ſapientiam profeſſus publicè, ſupremis Academiarum honoribus ornatus ſit. Moribus erat tam honeſtis & pudicis, vt florem ætatis nulla vnquam labe ſordéue cupidinis aſperſiſſe putetur. Vbi verò cœpit cogitare, quod genus vitæ ſequeretur, ingentibus curarum æſtibus jactatus, nullam animo quietis partem capiebat, quoad decreuit ſuum inter Socios nomen ſe profeſſurum; extemplóque, vt ipſe mihi coràm faſſus eſt, cogitationum fluctus ſedere, omnéſque turbinum ac turbarum procellæ poſuere, vti tanquam in ſereno tranquillóq; mari, portum ſibi ſecundis ventis ſubiſſe videretur. Cùm deinde Petro Caniſio fratri, ſocijs Præfecto votum coràm expoſuiſſet, petiſſétque vt illud ratum ſanctúmque vellet, & ſe in Societatis familiam cooptaret, Petrus ejus conſtantiam (non minus ac B. Stanislai Koskæ) haud paucis experimentis explorauit, juſſitque longo itinere Romam petere, & ab ipſo Ignatio impetrare, quod à ſe efflagitaſſet. Properauit ergo Romam Theodoricus anno Chriſti CIↃ IↃ LIV. cùm alterum & viceſimum ageret ipſe, atque ab ipſo B. P. Ignatio gentis noſtræ conditore in familiam Societatis adſcitus eſt, adeóque poſt aliquot menſes, in ipſius contubernium admiſſus, vt ipſi Socius à cubiculo eſſet, quo poſt biennium ad cælitum Societatem euocato, Theodoricus in Germaniam miſſus, tribus Collegijs cum Rectoris auctoritate præfuit annis omnino triginta, Monacenſi aliquot, Dilingano ipſis viginti, reliquis Ingolſtadiano, quæ tria nobiliſſima ſunt, & frequentiſſima prouinciæ noſtræ domicilia. Eo demum onere leuatus Lucernam Heluetiorum miſſus (mirificè enim illam gentem propter ſingulare ſtudium pietatis com-

ægris adferre ſolatium, cum per ſermonis communicationem dolorum ſuorum quaſi partem aliquam in aliorum humeros exonerant, quos ſua cauſa dolere animaduertunt) conſcientiam tamen ita aperiebat ſemper, vt nihil deſiderare poſſet, qui illum audiebat, ipſéque ſi quid à ſe offenſum putaret vel patrem quæreret, vel ſi æger non poſſet, accerſiri juberet. Pari modo cum ſuperiore ſeriò acturus, verbis vtcunque dixit inſtructus. Cùm verò & ab exteris, ijsque Principibus viris ſubinde conueniretur, ſuam infantiam cauſatus, ipſo deinde ſilẽtio & religioſa corporis compoſitione ſatis abunde locutus cenſebatur. Verùm quantacunq; in eo fuerit ad loquendum confuſa verborum dictio, gemina tamen illa nomina IESVS & MARIA, ceu ſacræ militiæ teſſeram tam pertinaciter retinuit, edidítque, quoties voluit, vt reliquorum verborum jacturam facilius ferret: cordi procul dubio iſta inſculpta hærebant; valenti namque & ægrotanti, ſedenti & ſtanti in ore ſine errore verſabantur. Maximè verò moleſta illi fuit à ſacrificiorum liturgijs & horarum Canonicarum recitatione ceſſatio. qua de re ſeriò cum ſuo ſocio egit; cogitaret (ſi qua ratio eſſet) velle ſe de integro literas, & earum elementa diſcere, cùm fruſtrà ſe velle animaduertit, grandiuſculo charactere inſcribi voluit libello ſuo precario dicta gemina, atque maximè ſalutaria nomina IESVS MARIA. quæ vti ſola effari ſine diſcrimine, ita legere ſine errore potuit. Quamuis autem alia legere ipſe neſciret, promtiſſimas tamen legentibus aures præbuit. & facilè aſſecutus eſt; ſéque interdum & lectorem ſalubriter adhortabatur, vſque dum vltimo biennio Ingolſtadij (nam eo Auguſta commigrarat) prælegentem amplius non caperet. Circa res diuinas, quas nunquam non reuerenter etiam æger habuit, tantum quidem fuit illius ſtudium, vt ſacram Euchariſtiam ſuſcepturus noctem majore ſollicitudine, quàm fractæ ferrent vires, non ſine periculo grauioris mali, traduceret. Frequentes ejus erant querelæ, nulla quod in re vſui nobis eſſe poſſet, & tamen nihilominus tam benignè haberetur. Nec ſuus geſtui omni ereptus ad pietatem erat vſus; nam ea manus, quæ in alijs officijs & corporis miniſterio ferè deerrauit, in cruce formanda admodum erat docta, & verò etiam ſalutaris. Fuit ſiquidem, qui tum aliàs ſæpe & amanter ad patrem viſeret, tum etiam cùm ſe grauioris valetudinis tentari ſenſit initijs, certus de valetudine, ſi Patris Caniſij ſe dextræ ſubjeciſſet, qua ille à ſe abeuntes pia quadam conſuetudine in crucem formandam exercita proſequebatur. Hæc illi per ſeptennium & amplius vita fuit.

quam optimus quiſque veluti duram ſortem miſeratus, ille patientia ſuperauit. Sæpe cogitantem ſubijt mirari, quæ tandem cauſa diuturni mali Theodorico fuiſſe potuerit? tandem venit in mentem hanc illi à Petro pro piacularibus flammis expiatricem leuium culparum, quibus plerique omnes obnoxij ſumus, moleſtiam impetratam, vt hìc per diuturnam patientiam, ibi plenam conſequeretur indulgentiam, niſi fortè (quod præterita illius vita & virtus jubent credere) ad augendum immortalitatis decus, & coronam hanc illi ſummus agonotheta materiam tolerantiæ objecit. Quid enim toto ſeptennio non eſt paſſus! cùm nec petere quidem poſſet, ſiquid vel deeſſet, vel deſideraret; & quamuis nutu conaretur exprimere, quod optabat, ſæpe tamen adminiſter illius non aſſequebatur quod volebat, ſæpe & contrarium porrigebat: cui rei vnicum exponam factum, ex quo de pluribus poterit exiſtimari. Fauces Patris grauis dolor occuparat, quod ille digito ori admoto docere volebat, vt intelligeret qui illius curam habebat. Sed hic ratus illi dentes condolere, vocato chirurgo eximi juſſit, à quo torqueri patrem exiſtimabat. Is genuinum fregit. Riſum mouebit hic famuli error legentibus, ſed miſero Patri auxit dolorem, quem tamen (vt jam pridem didicerat fortiter eſſe miſer) conſtanter tulit, donec tandem animaduerſum eſt, in faucibus malum hærere. Iudicij bonam partem retinuit; cætera infanti ſimilior, maximè ſub finem. Hunc cùm præſentiorem ipſe juxta alios aduerteret, ſacro oleo inunctus, ad Cælum, ad Cælum, quanta potuit voce proclamauit: dehinc ad ſua ſalutis ſymbola (Ieſum inquam & MARIAM) reuerſus numquam illa non reuoluit, & cùm jam ad vtrumque amplius non ſufficeret, alterutrum effatus eſt, linguáque magis hebetata, cùm integrè MARIAM non poſſet, inchoato nomine verbum tertiabat, dum elinguis deficeret: dextra interim cruces effingebat, huic itidem obrigeſcenti ſiniſtra ſucceſſit, ſed ipſa officij hujus inſolētia in ipſo conatu elanguit. Tandem, vt decenter occumberet, compoſito geſtu, & admodum religioſo, præmortuo penè reliquo corpore ſine voce & motu dormienti ſimilis, horis amplius viginti ægrum ſolóque in pectore ſubſilientem ſpiritum leni tractu ductum, ſub crepuſculum cum ſole è noſtro orbe digrediente ad lucem perpetuam V. Cal. Octob. Anno cIↄ Iↄc. vI. Ingolſtadij emiſit, omine ſcilicet non inani, cùm à pleriſque ob vitæ innocentiam Angelus appellaretur, Angelorum ferias poſtera luce celebrandas, ipſe apud ſuperos acturus. Ea porrò facies erat extincti, vt ignorares,

an viuus

an viuus mortuo, vel mortuus viuo eſſet ſimilior. Funeratus eſt in templo S. Crucis domeſtico, ſui nempe laboris domicilio, & quaſi mauſoleo ad aram Omnium Sanctorum, cum quibus in cælo æternos celebrat triumphos illatus.

Symbolum Theodorici

IESVS MARIA.

Ingenium triſtis deleuit nobile caſus,
Et rapuit quicquid legerat antè labor;
Nomina bina tamen, morbus quæ ſalua reliquit,
Plus potuere, omnes quàm docuere ſcholæ.

ANDREAS LECHV-SIANVS.

Ann. Chr. 1606. XVI. Cal. Octob. Ex annal. Collegij Auguſtani.

MAgna ſæpe virtus in ſordido mapali naſcitur educitúrque. Lechuſium vicus eſt in Boica, mille ferè paſſus Auguſta Vindelicorum diſtans, vbi Andreas, de quo narramus, inter agreſtes, in ęditui natus tugurio mox à prima infantia (nec enim annum alterum impleuerat, aut pedibus inſiſtere poterat) futuræ pietatis documenta dedit, cum jam tum ſolennes homini Chriſtiano preces articulatè præter morem & vſum vitæ pronunciauit. Senſit, opinor, hoſtis innocentiæ, ſe ab nouo hoc Hercule, ſi adoleſceret eliſum iri. Cum ergo puer domi ſuę ex altiori loco per apertam feneſtram proſpectaret, & vltro citróque commeantes exultante geſtu, & prælibrante corpore contemplaretur, incautus (an inſidijs etiam veteratoris impulſus)? præceps è feneſtra nudus in viam delabitur, capútq; ſilici, tergum arboris trunco illidit. mater haud longiùs ab infante abſtans, cum trepida exanimatáque metu aduolaret jacentémque tolleret, rata cerebrum puero eliſum, aut contextum vertebrarum cratémque dorſi luxatam, poſteaquam totum obijt oculis, manibus contrectauit, explorauítque omnia, ſicubi veſtigium vulneris, liuoris vel tumoris deprehenderet, labem nullam in corpore offendit, ſubijciente, reor, manus numine, aut cælites ſubmittente, qui molliter deponerent cadentem, ne offenderet ad lapidem pedem ſuum. Defunctus hoc periculo puer, mox in aliud haud leuius incurrit: Alueum Lici fluminis propter ædes paternas præterfluentis paullò altiorem ſoluto duntaxat ponticulo in profluentem duos tréſue pedes excurrentem ingreſſus dum tabulam vacillantem premit, labente veſtigio in ſubjectam vndam prolabitur, infráque pontem aquis tectus hæret. Fortè puella illac transmittebat, quæ curioſius deſpiciens animaduertit oram veſtis, ceruicem, & quoſdam pedum digitos extantes. Deſilit extemplo merſáque capite tenus, merſum prendit & extractum velut cadauer in ripas exponit. Concurritur ad ſpectaculum, parentes præfocatum aquis arbitrantur, puer tum erectus ſaluus ſanúsq; adſtitit, quod ipſum vitæ ſeruatæ quadrimuli beneficium à circumſtantibus cæleſtium tutelæ meritò aſſignatum fuit. Iam ſacras catecheſeos ſcholas primus feſtis diebus obibat,

ibat, totáque hebdomade ſtudioſiſſimè, quæ inſtitutor tradiderat, meditabatur, reddebátque publicè ſequenti dominica, tanto cum pietatis ſenſu, vt ab lachrymis auditores temperare non poſſent; quod ſi morbo præpeditus itare prohiberetur, deferri in ædem ſacram voluit, ne Chriſtianæ doctrinæ elementa negligeret. Quicquid etiam ſpeciem culpæ ſuggerebat, ſtudioſè fugitabat, noxas tanquam peſtes abhorrebat. parentes neque nutu offendit vnquam. Encænia celebrabantur & vtricularij calamos inflabant, cum captus puer quamuis agreſtis auenæ cantu, & ipſe fiſtulam ex nundinis ſibi comparauit, domíque ſuæ ſubinde cecinit, cum parens olim per jocum ludibundus diceret, nullum ex fiſtulatorum ſorte admitti in cælum, puer illico ſuam cannam abjecit, in re leui non leue pietatis argumentum. Nullam orationi vanitatem vnquam aſperſit, quod quàm rarum ſit in juuentute, quotidie experimur; mens integerrima non ſolum venerem ignorauit, ſed nec vocem etiam aut nomen cognouit: dicam audaciùs, neque cogitauit, vt qui vitam vix aliqua quotidiana labecula vnquam notarit. Ajunt ſub adultum Auguſtum morbo graui correpto Chriſtum ſe redimitum & purpuratum cum virgine matre & magno cælitum innocentiúmque choro videndum obtuliſſe, & cæleſti ſymphonia permulſiſſe, amœnóſque paradiſi campos ſpectandos exhibuiſſe. Quod vt fieri potuit, & à quibuſdam tanquam indubitatum relatum eſt, ita factum eſſe, certius affirmabimus, poſtquam publica Eccleſiæ auctoritate affirmabitur. Sicut & illud quod ſequitur. De B. V. Dei matre illi per viſum oblata, non magis quam hoc ſacri magiſtratus ſententijs & ſuffragijs ſubjectum volumus. Hìc omnia fide hiſtoricâ qua potuimus optima retulimus. Cùm morbus augeret, multa ſecuturæ mortis veluti præſcia ſigna dedit. Sacerdotem à quo rudimenta fidei acceperat, quem octennium ipſum familiariter norat, accerſiri juſſit. Aderat noctu grauius decumbenti parœcus Schüelius, à quo nil aliud ferè exigebat, quàm vt curaret vocari Societatis patrem, qui confitenti aures præberet. Recepit parochus ſe ipſum ad collegium prima luce venturum, patrémq; ſecum deducturum. Qui vbi aduenit puerúmque ſalutauit (is dies erat ante 5. Cal. Aug.) quæſiuit ab illo vbi mente animóq; verſaretur? In cælo, inquit. ecquid paratus eſſet ad mortem obeundam, ſempérq; cum ſuperis viuendi? imò enimuero, inquit, ſe & pro ipſius, & præſentium omniũ ſalute Deum deprecaturum. Quæſiuit porrò, quid innocentes actitarent in cælo? In Dei, inquit,

Digitized by Google

quit, complexu hærent ſemper. Cúmque confeſſionem peregiſſet, nec eſſet, quod expiatione dignum videretur, petenti ſacerdoti, quid per morbi ſpacium laboranti objectum diuinitus eſſet, ipſo die, inquit, Virginis in cœlum aſſumtæ ſacro, Dei Opt. Max. mater, cum SS Petro, Andrea, nonnullíſque alijs diuis miro fulgore circumfuſa, ſpeciéque humana auguſtiore me conuiſit, dulcíque oſculo complexum delibauit, alij conſalutarunt, & per benigno alloquio dignati plenum cœleſti jucunditate, gaudióque immortali permulſum oſtenſis etiam nobiliſſimis paradiſi hortis reliquerunt. Tum deinde tanto Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento deſiderio exarſit, vti toto octiduo ante meridiem nihil cibi potioníſque admiſerit, quoad cœleſtem agnum deguſtaſſet. Poſt paucos dies cum vterque parens, cum liberis lectum aſſiſterent decumbentis, affatus primum parentes; Mater, inquit, moriendum eſt mihi, ſalue mater & vale; Deus Opt. Max. te ſeruet beétque ſemper; & vos dulces fraterculi æternùm valete & ſaluete. & tu Ioannes (erat is natu maximus inter liberos) matri in poſterum ſis obſequentior, neque tam duri oris. Tu Matthia (minimus erat fratrum) parentibus ne tam præfractè reſponſa, ſed mitius humaniúſque & modeſtius cum illis age. Mater, tibi hanc precatoriam virginis coronam lego, quam ab informatore ſacro juuentutis accepi; ſaluete iterum, iterúmque omnes ac ſinguli valete. Tum intercepta morbo voce conticuit, ſed geſtu, nutu, manu, ſignis, non minus poſtea quam antè ſermone pietatem declarauit, cum apprecantibus annuit, & ſignificationibus præeuntium voces ſubſecutus eſt, & modò manus junctas in cœlum, quo tendebat, ſuſtulit, modò in formā crucis compoſuit, modò cruce frontem, os, pectúſque ſignauit, ceruicémque ad ſingula verba inclinauit. Ardebat jacentis vultus ritu purpuræ & florem roſámque, non ceram aut cadauer æmulabatur, ſiue os pueri vis caloris & morbi depingeret, ſiue diuinus aliquis honor innocenti afflatus eſt; certè nec à mortui genis gratia coloris & elegantia receſſit. Patientiam per omne tempus morbi, qui ſupra menſem durauit, viro non erubeſcendam tenuit. Dexter illi poples adeo intumuerat, vt pedem curuaret immotúmque figeret, quem tamen admotis B. P. N. cineribus detumuiſſe ferunt. Exibat tandem lætus ex ægro corpuſculo animus pueri, quem cœlo receptum, & mentibus beatis adjunctum ſperare meritò poſſumus. Exceſſit 16. Calen. Octob. 1606. Sacerdos, dum puer humaretur, laudationem illi funebrem inſtituit tanto cum ſenſu verborum,

vt omnes

Digitized by Google

vt omnes lachrymis propè colliqueſcerent. Virum da, & multis in religione exercitum annis, habebit, quod in hoc puero miretur & imitetur: in quem ita ſapientis verba cadunt, ac ſi de ipſo ſingillatim eſſent cogitata & perſcripta, quæ libet apponere, vti diſcat adoleſcentia non multos annos ſperare, ſed vitam emendatam inſtituere: *Raptus eſt enim ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animum illius. Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ transuertit ſenſum ſine malitia: conſummatus in breui expleuit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.*

IACOBVS

IACOBVS BIRVVA, E SOCIETATE IESV.

CIϽ IϽC VI. XXVII. Dec. Ex Annal. Soc. Landſpergenſib.

HInc ad cœlum, vti bene ſperamus, euocatus eſt Iacobus Biruua. VVerteriæ apud Belgas natus, rei familiaris adminiſter approbatus, vir omnibus religioſæ vitæ virtutibus & ornamentis præditus, ſibi mortuus, Deo & Societati vixit annos quatuor & quadraginta, duobus & octoginta totum vitæ curſum abſoluit. Meretur Iacobi ſingularis pietas, vt nomen ejus exempli cauſa poſteritati commendetur. Famularem primùm operam Batauo viro nobili locarat, qua tempeſtate in Holandia ſumma hæreſis non modò religionem euerterat, ſed jura etiam omnia diuina & humana peruerterat. Cum hoc Iacobus, relicta patria, Romam venit, totúmque biennium non niſi in pijs Diuorum Martyrúmque monumentis colendis venerandiſque poſuit. Anno Chriſti M. D. LXII. à R. P. Iacobo Layne II. Præpoſito Generali Societatem impetrauit. Miſſus inde cum Patribus in Germaniam, cùm Indias magnoperc deſideraſſet; Dilingæ Oeconomi officium, aliáque miniſteria tanta cura obijt, vt quicquid illi Rector Collegij demandaſſet, dictum factum eſſet. M. D. L XX. vota publica Adjutoris formati edidit. Landſpergæ demum tres & viginti annos Magiſtrum tironum omni ope operáque adjuuit; ſingularique moderatione animos Nouitiorum tractauit, vt & intelligerent, ſiquid exerraſſent, & reprehenſi tamen non dolerent. In communi ſociorum conſuetudine, vitáque ita ſe religiosè geſſit, vt graues in Societate viri, ipſique annis 30. aut 40. familiares, teſtati ſint, nihil in eo animaduerti potuiſſe, quod peccati ſpeciem haberet, linguam in poteſtate habuit; nec leuiores jocos aut alia hoc genus vitia, velut ille apud Caſſianum Maches, ferre potuit. Sacrificantem quotidie bis audiuit, bis per hebdomadem, & rarò ſine lacrymis Virginis filium in Euchariſtia ſumpſit. A precibus nec domi, nec foris inter opera ceſſabat. Aquæ luſtralis vſum ita frequentauit, vt vino, cibo, pharmacis omnibus admiſceret. Et fuit Dilingę in magna vini caritate animaduerſum, vaſa vltra conſuetum numerum, & tempus potionem præbuiſſe. Herniæ cruciatus, fide & voto in D. Bennonem ita mitigauit, vt eoſdem rarò perſen-

perſentiſceret. Sacras imagines memoranda pietate proſequebatur, ſicubi Patrem comitato in ædibus hærendum eſſet, prolata ex ſinu imagine, in proximo domûs angulo in genua procubuit, vt dum ſacerdos cum hominibus, ille cum Deo Diuiſque colloquium inſtitueret. Cùm de ramicum ruptorum acerrimis doloribus illi cum ſocio eſſet ſermo, altérque acerbitatem ejus eleuaret, quam ſæpe grauiſſimam Iacobus perſenſerat, tacuit Iacobus; ſequenti noćte ſocius calculo cœpit, tam grauiter excruciari, vt ferendo non videretur, culpam in temeritatem pridianam conjecit. Iacobum veniam & preces petijt, nec multò pòſt curatus eſt. Aegris nihil deeſſe vel ad morbum depellendum, vel ſpiritum retinendum paſſus eſt. Viceſimus ſeptimus Decembris hoc in terris lumen Societatis extinxit, vt clarius in cælo accenderetur. Cujus honori Iacobus Bidermannus noſter phaleucium condidit:

IACOBVS BIRVVA,
Oeconomus, vir mirificè pius.

SPeratam quoties auara Meſſem
Eluſô ſeges horreo negabat,
Aut vindemia parcior Falerni
Vix vnam dabat amphoram Lyæi,
Et quæuis inopúmq; diuitúmq;
Mærebat domus, ac ſibi propinquum
Credebat penus imminere fatum;
Tu nobis modico, Iacobe, ſumtu,
Aſtris ſuppeditantibus, venire
Annonam nimis vberem jubebas.
Nam te paupere Cella ſub miniſtro
Cella ex omnibus vna, cùm videret,
Quid parcæ Cereris, quid imminutæ
Magna anguſtia poſceret farinæ;
Senſit, ſenſit opem repentè; & vnus
Quantumuis cadus his & his abundos
Præberet ſitientibus culullos,
Durauit tamen amphora; & meracis
Longum perſtitit eſſe fœta nimbis.
Ceſſet vinea, vinitórq; ceſſet;
Ceſſent arua, ſegésq; ceſſet; vno
Dum curabitur horreum à Iacobo,
Vltro meſſis in horreum; vltro in vnam
Eſt vindemia tranſitura cellam.

Digitized by Google

P. MEM.ᵆ MARIA HELFENSTAINIA AB HOHENZOLLERN.

CIↃ IↃↃ XI. *Ex annal. Landſpergenſium.*

SVIKARDI Helfenſtainij incliti dynaſtæ, præfecti Landſpergæ Boiorum opidi,(de cujus illuſtri familia ſupra in Vdalrico Helfenſtainio plura ſunt dicta) vxor Maria Hohenzolleriana poſt obitum mariti, qui cum Landſpergenſe collegium Societati poſuit, totam ſe rebus diuinis conſecrauit, quamuis & in conjugio illuſtria virtutis documenta ediderit. de qua hæc ex literis Landſpergenſibus didici. *Abſtulit hic annus* CIↃ IↃC XI. *illuſtrem Dominam Mariam Comitem ab Hohenzollern. Illuſtris Svvikardi Comitis olim ab Helfenſtain conjugem. Qui ambo juxta in Societatem IESV liberales, ac primi omnino Mæcenates extitere. Sed ille annis ab hinc duodecim defunctus viduam hanc reliquit ſuperſtitem: quæ continuò ad generis ſplendorem magnarum virtutum decora addidit. Sericas quippe veſtes à corpore deponere, victúmque paruo parabilem inter ancillas capere, ac ſi quid delicatius apponeretur, vix delibatum ægris mittere; quibus & aliàs vnicè benignam ſe præbuit, ita vt eorum neceſsitatibus pharmacopolium inſtruxerit, illóſque liberali ſtipe ſubleuarit. Et, quod mirere & obſtupeſcas, deſiderabat ipſamet bonis omnibus diſpenſatis, de ſtipe victitare, ſi quem ejus conſilij auctorem reperiſſet. De cujus incredibili modeſtia ac religione hæc porro paucula juuabit attigiſſe. Simul ac maritus deceſsit, Societatis exercitationibus voluit inſtitui, eáſque ferè ſingulis poſt annis repetiuit; vitam qua licuit, omnem ex Legum Societatis præſcripto ſibi formauit. Bis quotannis generalem ſolita eſt confeſsionem inſtituere, interdiu bis conſcientiæ rationes expoſcere, & ſingulas horas meditationi tribuere, ſexta feria ad Societatis morem abſtinere, intérque epulas lectionem audire. Matutinum tempus inter ſacra ferè transigebat: pomeridianis horis jam operi, jam precibus dedita, quas etſi debilis, tamen plerunque genibus nixa funditabat. Leuiſsimas culpas à ſe admiſſas vehementer exaggerabat, déque ijs vix aliquando niſi illachrimans confitebatur. Quinque ante annis breuiarium ſcripſit, quid ægra ſecum & mortua vellet fieri: in quo nihil prudentiæ aut religioſæ virtutis deſiderares. Vbi inter extrema hæc monebat, ne quis ad ipſam profanus admitteretur, ſed excluſis omnibus Patres Societatis adeſſent, animámque precibus ad iter ſupremum proſequerentur: quod & conſecuta eſt. Cùm enim*

ita

ita ſemper cubitum abſcederet, velut nunquam ſurrectura, accidit, vt pridie quam vitâ excederet, incolumis domi ſacro epulo reficeretur, & ſub noctem deinde mediam euigilans viribúſque defecta animam repente ageret, præſentéque Patre Societatis placidiſſimè expiraret. Ea deinde in templo Societatis honorificè cum illuſtri conjuge fuit humata. Cæterum ea eſt, quæ pridem à fundamentis hanc domum probationis cum templo Societati extruxerat, eandemque optimis, quibus poterat, inſtrumentis rebúſque ſemper iuuerat. nunc verò nouiſſimè totum patrimonium Societati ex aſſe reliquit.

Hæc bone Lector, ex multis illius alijs pietatis operibus & ſtudijs virtutum, pauca legis delibata, verè admiranda, jure meritóque imitanda.

Eadem hæc perilluſtris Matrona ab Hohenzolleren fuit amita Illuſtriſſimi Principis Ioannis ab Hohenzolleren, qui apud Sereniſſimum Electorem noſtrum Maximilianum, ſupremum aulæ & prouinciæ hodie præfectum agit.

Digitized by Google

P. IACOBVS REMIVS.

CIↃIↃCXVIII. IV. Idus Octobr.

IACOBVS Remius natus eſt Brigantij ad Acronium oppido, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto, à prima ætate bonos mores, vitæque integritatem ſummo ſtudio coluit. Adoleſcens operam Dilingæ literis nauauit diligentem. Vicennis Romæ nomen ſocietati dedit, vniuersã gubernante B. P. Franciſco Borgia. Atque ipſis primis tirocinij diebus reliquo vitæ egregio facinore proluſit. quippe primis diebus pro Societatis more, ſociorũ excluſus familiaritate, in cubiculo concluſus, reprehendenda ſanè incogitantia Miniſtri, triduanam patienter tolerauit inediã, vltra progreſſurus, niſi fortè Rector Collegij rogauiſſet, ecquid ſaperet cibus? cui modeſtè reſpondit adoleſcens nullum adhuc ſe guſtauiſſe. Obſtupuit Pater, nec ſine indignatione ſtatim præcepit apponi mensã. Et verò nõ modò delitiarũ alien⁹ ſemper fuit, cõmuni contentus victu, etiã ætate ac valetudine deteriore; ſed etiam cibi & potus erat parciſſimi. Diuinis rebus, ſuper mensã legi ſolitis ita paſcebatur, vt quid ederet, biberétue, neſciret, lacrymis leniter præſertim ad martyrologium decurrentibus. Corporis affligendi miro ſemper flagrabat ardore. Romæ ſanè cum eſſet per ardores æſtiuos, natis in veſte vermibus religioſum duxiſſet, vel vnicum necare, tametſi jam cauernulis in cutem factis per colonias graſſarentur, certus eam nunquam deponere, niſi res inſolita ſocios aduertiſſet; qui re ad moderatorem delata, ad aliud perpulerunt, ſuſpenſus inde ſub tecto diu à tironibus PATIENTIAE THORAX eſt vocitatus. Oculorum cuſtos erat acerrimus, ita vt paucos admodum ſocios, (ſingulari amore complexus vniuerſos,) noſcitaret, peregrè venientium, abeuntiúmque minimè curioſus. Quare ſcenicas actiones non facilè ſpectabat, niſi cum de morte, de ſeuero Chriſti tribunali, aut de cæleſti gloria dabantur. Contemptor ſui, officio ſe alieno judicabat indignum, cum ipſe prodigus eſſet officij; cúmque impensè fugeret honores, præcipuè honorabat vniuerſos, vt nunquam eum de altero conquerentem audires. In ſocietate cum annos duos & quinquaginta vixerit, vnum in tirocinio, alterum nec totum illum Monachij Miniſtrum agens, reliquos omnes Dilingæ, Monachij, Ingolſtadij in alumnorum contubernijs pro Regente vel

adoleſcen-

Digitized by Google

adoleſcentibus, plerunque religioſis præfectus exegit: Ingolſtadij tamen, quam vrbem triginta duobus annis incoluit, nullius vel adoleſcentis petulantiâ vel contumaciâ, injuriáue ita laceſſitum fuiſſe conſtat, vt vel minimum turbati animi veſtigium deprehenderetur. In ſententiarum animorúmque varietate, nunquam ille ſuam ſententiam, quamuis veram, pertinaciter defendebat, ſed mox alterius, vel modeſtè excuſans, vel diſſimulans errorem, cedebat. Silentij perſtudioſus, ſenſuum imperator egregius, vnde ſine inquiete, tumultúque agebat: atque ad eam perductus fuerat integritatem, vt ne leuioris quidem culpæ notatus labecula, ſi quidem exomologeſeos fructum percipere vellet, ſæpe priſtinæ vitæ culpas reuocare neceſſe haberet, identidem animi ſtuporem deplorans, qui peccatorum conſpectum impediret, cùm tamen vel maximè diuina luce foret illuſtratus. Aliquot ante annis miſſus erat à P. Generali qui luſtraret prouinciam: Is P. Iacobi innocentiæ haud dum gnarus, ei geminam in hebdomade confeſſionem imperat, ſemel id tantùm juſſu Confeſſarij factitanti, paret bonus vir, ſed breui nullis, aut raris ſubeuntibus noxis ad priorem redire debuit conſuetudinem. Paupertatem ita coluit, vt ne minima re niſi conſcijs moderatoribus vteretur. Caſtimoniam & illibatum corporis florem cuſtodijſſe teſtantur ejus arbitri conſcientiæ. Majores autem ſuos non coluerit ille? qui cum inter externos quadraginta nouem annis viueret, nunquam eo ſe onere liberari poſtularit, eo duntaxat nomine, quod rem gratam ſe ſuperioribus facere dictitaret. Triduo antè quam obiret, cùm alijs oleo ſacro ad extremum agonem vngendus videretur, negabat eſſe tempus, cognito verò vel ſolo ſuperioris nutu, promtè paruit. Petijt & impetrauit aliquot ante obitum menſibus, vt ſæpius liceret ſibi inter noſtros prandere, cum ob fructum animique gaudium, quod ex lectione, tum ex alloquio noſtrorum perciperet. Caritate ſingulari complectebatur rudes & humiles, quos vel doctrinâ, vel alia quapiam re augere potuiſſe inter ſummos ponebat voluptates. Aegrotantibus ſæpe dies & noctes ferè totas inuigilabat. Studioſus quidam impatientiâ morbi maledicus in Deum erat, ſæpius & fruſtra monitum nocte vel intempeſta jubet Pater in alias ædes deportari, ſatius ratus vnum perire, quàm plures infici. Multi hodiéque recuperatam corporum ſanitatem precibus ipſius referunt in acceptis. Vnus è ſocijs grauiſſimo capitis dolore florum folijs ab ara, quibus Pater eam ornare, & ad quam ſæpe precari ſolitabat

in caput ſparſis, de meritis tantùm ipſius confiſus, eſt liberatus. Viennæ Auſtriæ antiſtita cœnobij ad ſanctos Angelos, ipſius precibus graui morbo defuncta ſoterium miſit. Laborabat hic paucis ante annis adoleſcens illuſtri proſapia oriundus tam periculoſo apoſtemate, vt à medicis conclamaretur. Fecit noſter Iacobus pro ipſo ſacrum tantam vim lacrymarum effundens, præſertim cum hiſtoriam de Lazaro legeret rediuiuo, vt identidem ſubſiſtendum eſſet. quo finito triſtis ſacram ſynaxin ad ægrotum ea tunc primùm impertiendum defert. Vix eum perceperat adoleſcens, cum Pater lætus ad Regentem Conuictûs accurrit, lætóque jubet eſſe animo. nam adoleſcens, inquit, non moritur. Dictum factum, quippe conualuit. Virgo quæpiam repudiatis impuri amatoris nuptijs, ita Acheronticis carminibus faſcinata fuit, vt fœdiſſimas noctu illecebras diu pateretur, fruſtra quâ hominum, quâ cœleſtium ope implorata; tandem à P. Iacobo impetrauit. Simul enim atque ipſe ſacrum fecit, omnis euanuit illuſio. Tam eximiè ſemper coluit & amauit beatiſſimam Virginem, vt ipſius amorem, quam plurimorum animis impreſſum peroptaret; ac ſæpe in ore haberet angelica illa verba *Aue Maria*: ac proinde viginti quatuor ab hinc annos cœtum è ſodalibus Annunciatæ Virginis collectum inſtituit, quem colloquium B. Virg. nuncupauit. quippe quorum præcipuè munus eſt, ſermones de rebus ſacris ſerere; ij certis legibus ita alligantur, vt qui vel vnicam violarit, vel peccato mortifero ſe obſtrinxerit, ipſo facto excluſus, omni fructu & indulgentijs, quas Paullus V. Pont. Max. anno 1614. conceſſit, priuetur, donec animo apud Sacerdotem expiato, dictóque hymno, *Aue maris Stella*, in gratiam reconcilietur. Eſt tamen & reconciliatio iſta & excluſio ſemper occulta. Octauo quoque die confitentur, diebus Sabbathi feſtíſque conueniunt, quo tempore vel mentem pia commentatione exercent, vel preces Deo ſoluunt, vel pios ſermones miſcent, vel vnus cæteros adhortatur ad pietatem. Si qui diſcedant, debent leges (Directiones vocant) deſcriptas tertio quoq; menſe legere, (ſi quidem meritorum colloquij participes eſſe velint) ſingulis annis literas ad Sodales Ingolſtadium mittere, quæ niſi faciant, tam diu habentur excluſi, quouſque aut præſentes, aut per literas ſeſe purgent. Ex hoc ergo cœtu non raró cùm quidam eſſent demortui, noſter Iacobus cœlitus edoctus animas defunctorum Sodalibus commendauit. Fuit cùm præſentibus omnibus imperauit, vt conſueta vota pro quodam (& nominauerat multis milliaribus inde diſ-
ſitum)

Digitized by Google

ſitum) ſoluerent. jam enim, inquiebat, mortuus eſt. Admirati ſodales parent, ac notant diem horámque dictorum, cùm multis pòſt diebus ex certis nuntijs intelligunt, nihil Patrem fefelliſſe. Solebant animæ defunctorum ad ipſum ceu communem patronum confugere: pulſabant autem fores ipſius eo vehementiùs, quo majore indigebant ſubſidio. Plures ſunt, qui referant, ſæpius gemitus & vlulatus in proximo cæmiterio vocali ſono P. Iacobi opem implorantium exauditos fuiſſe. Obtulit ſeſe ipſi quondam vnus ex noſtris defunctus ſpectandum, ex quo cum Iacobus interrogaret, fuiſſétne in igne purgante necne? dubio reſponſo accepto, rurſum quærit; quo in ſtatu nunc ſit? altero ſubijciente, in gaudio inenarrabili: tanta gaudiorum dulcedo patrem percepit, vt nunquam deinceps ſine lacrymis meminiſſe potuerit. Aliàs cùm ſacrum pro defuncto feciſſet, interrogatus, pro quo eo die feciſſet? reſpondit, pro ſocio in Danubio demerſo. nec ita multo poſt compertum eſt * ſocium Ingolſtadio Ratiſponam miſſum fracta naue Danubij fluctibus eo tempore fuiſſe hauſtum. Dum ſacris operabatur, cœleſti gaudio lachrymiſque perfundi ſolebat, vt verbis interceptis, velut extra ſe poſitus, diu hæreret; ac non ſemel inter illa tremenda myſteria viſus fuit ſupra terram ſublimis eleuari (vt viri religione & fide præſtantes retulerunt) atque non innixus ſolido, cœleſti vi in aëre pendere. Inceſſerat aliquando ipſum magna cupiditas, quodnam encomium Beatiſſimæ Virgini eſſet gratiſſimum; cùm certior ſit clariſſima illuſtratione illud *Mater Admirabilis* compendium videlicet eorum, quæ de tali Virgine ac matre ſatis oratione prædicari non poſſent. Cùm ergo quondam à Sodalibus Colloquij muſico concentu Litaniæ pro more beatiſſimæ Virgini decantarentur, atq; illa verba, *mater admirabilis*, enunciarentur, Virgo cœleſti circumfuſa luce, ipſi ſe offert adſpectabilem, prouolat ſubitò ex angulo in medium, quem ſemper in oratorio poſtremũ occupabat; exclamat, ſtupentibus ſodalibus, ingeminarent vniuerſi tertiũ voces illas. *Mater admirabilis*. Se enim cognoſſe, quàm gratũ ſit Matri Virgini colloquiũ & illud elogium. Anno nonageſimo ſexto ſupra milleſimum quingenteſimum, Paulus Hoffæus nota virtute, vir, viſitatoris, qua tunc pollebat, auctoritate imperat ipſi, vt colloquium rurſus abroget; paucos tamen intra dies mutata mente renunciari jubet, vt perſeueret, quam cœpiſſet, ſocietatem, veritus (vt ipſe dixit) ne plagis à B. Virgine, apud quam multum poſſe ſciret Iacobum, afficeretur. Certò etiam conſtat, ſæpe futura di-

* *Erat is P. Ferdinandus Melchiorius.*

Digitized by Google

uinitus edoctum prædixiſſe, quorum euentus non vanum fuiſſe vatem comprobauit, atque cætera item euentura multis prædiſcimus argumentis. Plura ſine dubio miranda patrauit, quæ tamen, quoniam ipſe ſingulari ſemper celabat modeſtia, ne ſuperioribus quidem curioſius quærendo exprimere viſum, modeſtiæ ſanctęque ſimplicitati conſulentibus. Ingens & peruagata ejus ſanctitatis opinio apud cunctos verſabatur, vt paſſim diceretur Sanctus; quare multi genere, virtute, ſcientia clariſſimi, ſe felices dictitabant, quibus aut virum talem colloqui, aut liberos ipſi ſuos contradere contigiſſet. Cum noſtri, tum externi de corpore defuncti reliquias ardenter poſtulauerunt.

Multa præſenſit prædixítque de ſtatu reipublicæ & imperio; de tumultibus publicis & ciuilibus bellis; quorum alia jam euenere, alia fiunt, alia ſunt in expectatione. Definiuit enim & annos, ſecundum quos magnam Germaniæ ſerenitatem pacémque opimam ſecuturam teſtatus, & nos olim ſi vixerimus, teſtaturi ſumus. Nihil enim adhuc fefellit, nec de futuris dubitamus. Singillatim prædixit, quæ anno 1619. & 20. euenere. Motus inquam hæreticorum, nobilem Principis Bauariæ Maximiliani VII. Viri imperij de Bohemis victoriam, de quibus anno 1614. & 15. vaticinatus eſt, vti literæ eorum qui hæc ab ipſo ijs annis coram acceperunt teſtantur. Vixit Iacobus annos duos & ſeptuaginta, poſt Chr. Na. duodeuigeſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum Ingolſtadij IV. Idus Octobr. defunctus. Honeſtauit hunc P. M. virum noſter poëta Iacobus Bidermannus nobili phaleucio (lib. 1. epig. 139.) quod lubet ſubſcribere.

De P. Iacobo Remio defunctorum mirabili patrono.

HIc eſt ille ſenex, Iacobus ille,
Cujus perpetuo rigata fletu
Illa incendia ſunt, quibus piandæ
Sub terræ gremio cremantur Vmbræ.
O quantas (ſimul vt profunda nigro
Nox inuoluere cæpit aſtra peplo)
Quantas, (ô Superi) ſubire ſenſit
Vmbrarum lacrymantium cateruas!
Adſtabant foribus, manúſque mutis
Tendebant miſerabiles querelis:

Seu

Seu votis ſuperos vocaret ille,
Seu pernox tacitum cubile crebro
Impleret gemitu; genúque flexo
Subjecta trabis aſſerem grauaret;
Seu ſomno grauis aridos Iacobus
Duro in robore collocaret artus;
Seu quicquid faceret; ſubibat illa
Umbrarum lacrymantium caterua.
Et nunc auſa piaculare longis
Abſoluenda ſacrum rogare flammis:
Nunc jejunia velle; diluendis
Nunc orare ſuis flagella culpis
Nunc expoſcere lacrymas rigando
Quem terra in gremio ferebat igni
Et quicquid petijſſet illa & illa
Umbrarum lacrymantium caterua,
Oratus dabat impigrè Iacobus:
Et fuſis oculi vtriusque nimbis
Iuſſos obruit expeditus ignes.
At jam deſijt ille lacrymare
O quos ignibus alteros rigandis
Umbra jam poterunt habere nimbos?

Piæ Memoriæ

Religioſiſsimus & Venerandus

Ex Scriptis RR. PP. Capuccinorum.

P. LAVRENTIVS

A BRVNDVSIO

E SERAPHICO S. FRANCISCI ORDINE CAPVCCINVS.

Mortuus 1621, vt eſt in ſcripto.

MAgnus & illuſtris hic Ordinis ſui Pater, Brunduſij Calabriæ vrbe honeſto loco, XI. Cal. Sextiles, Anno poſt C. N. CIↃ IↃ LIX. ferijs ipſis S. Mariæ Magdalenæ primam lucem natus aſpexit: eodémque die, mirum dictu, poſt alterum & ſexageſimum vitæ annum denatus eſt. Religioſæ familiæ ſuæ, admodum adoleſcens, ſextum enim & decimum agebat, adſcitus. Vbi ſacris in literis tantos progreſſus fecit, vti reconditos ſcripturæ diuinæ ſenſus ingenij acumine penetrarit, aperuerit & explanarit. Accedebat Hebreæ linguæ cognitio & vſus, qua complures Iudæos pro concione ſæpius in ruborem dedit, nec paucos ad Chriſtianæ profeſſionis caſtra traduxit. Præſes deinde totius Ordinis ſui delectus, prouincias etiam inter ſe valde remotas in omni ferè Europa pedes ſæpe etiam æger obibat, ſuósq; omnes acerrimis exhortationibus ita incendebat, vt videretur faces & flammas illorum animis & pectoribus admouere.

Singillatim etiam ſuos vehementer ad ſtudium, cultum & amorem paupertatis excitauit, propoſito Chriſti exemplo, qui cùm caput eſſet orbis, non habuerit tamen quo caput ſuum reclinaret, quem pro viribus ſanctiſſimus Ordinis conditor Franciſcus conatus ſit æmulari. In Italia porrò dum ſolennem Eccleſiaſten ageret, tanta ſæpe vi perorauit, vt multorum flagitiorum reos, & in peccandi conſuetudine obſtinatos atq; imerſos, ad juſtam pœnitentiam & ſanctiorem viuendi rationem impulerit, cujus rei pleráq; Italia hodiéq; teſtis eſt, quæ Apoſtolicũ illum planè virũ præconem & concionatorem judicauit & pronunciauit. Monachij per biennium verſatus Sereniſſimis Ducibus perfamiliaris fuit, cujus etiam concionum frequentes auditores, & admiratores fuerunt, ſicut & Pragæ verba ſæpe apud Sereniſſimos fecit.

Rerum

Rerum cœleſtium aſſiduus contemplator fuit, ita vt nonnunquam totas noctes in preces effuſus inſomnes duceret, magnámque ſępe diei quoque partem eiſdem impenderit, quo tempore, tanto ſubinde æſtu diuini amoris incenſus ferebatur, vt etiam in publicos ejulatus & clamores eruperit, procúlque lacrimabiles illius voces exauditæ ſint.

Quantâ præterea reuerentia erga magnam Dei Matrem & Virginem affectus fuerit, quantóque amore ejus flagrauerit, verbis exprimi vix poteſt. Singularis enim & ardentiſſimus eius cultor à prima ętàte extitit, cuius etiam patrocinio rerum diuinarum ſacrarúmque literarum ſcientiam & cognitionem, quàm alij raram & admirandam in illo prædicabant, totam in acceptis apertè retulit. Tractus inde ejus venerandæ gratia Lauretum, per ſolenne quadrageſimæ jejunium, nihil omnino præter aquam & panem guſtauit; & quotidie omnibus illic ſacrificantibus, qui frequentiſſimi ſunt, miniſter ad aram adſtitit. Virginis proinde Beatiſſimæ cælesti alloquio ſæpius dignatum ac perfruitum certa fide tradunt, quando etiam arcana quædam ex illa & cæleſtia didicit. Sacrum quoque de eadem Dei genitrice non tantum ſolennioribus illius ferijs & feſtis, ſed quotidie jam ſacerdos cum tanto animi ſenſu, religione & pietate peregit, vti non ipſe tantùm vberrimo lacrymarum fonte inundaretur, ſed totam ſacram veſtem, & quicquid in altari manibus ſubjectum eſt ſacri inſtrumenti, lacrymis imbueret, & velut imbre irrigaret: ſacrum non rarò, imò quandocunque faciebat, minimum ad ſeptem, ſæpe etiam ad octo, nouem, duodecim vel amplius horas protrahebat. Multa ſunt præclara ejuſdem præclari Patris facta, quæ non ſunt abſque cæleſti prodigio manifeſtè perpetrata. Anno hujus ſextidecimi ſeculi, ſexto decimo, cùm noſter exercitus duce & ductore Sereniſſimo Matthia Auſtrio, qui poſtea imperauit, in Pannonijs à Barbaro Turcarum milite intra vallē quandā circumuentus eſſet, & certatim bellicis catapultis & tormentis excuſſis, tanquā ſcopus aliquis & palus peteretur, hic P. Laurentius arrepta Chriſti in crucem acti imagine, ante omnes promachos conſtitit, verſáque in hoſtem cruce, Chriſtianum exercitum incolumem ſeruauit, vti nec pilus quidem vllius militis inter tantam telorum, jaculorum, globorúmq; procellā in noſtros effuſorum læderetur, quod ſine apertâ Numinis ope fieri nullo modo poterat. Ita vnus hic P. Laurentius tanquam murus aheneus, omnem bellicorum tormentorum vim & tempeſtatem excepit, & auertit.

Sub

Sub idem ferè tempus, inter Catholicos Principes aduerſus impias Caluini & Lutheri ſectas & ſectatores fœdus initum eſt, vt alij arma alij opes conferrent, ad ſanctiſſimam Catholicorum religionem tuendam, & vi armíſq; propugnandam ad quod ſtabiliendum idem Pater maximum attulit momentum, quod hodiéque magno Catholicorum bono & augmento; hæreticorum verò detrimento & exitio perſeuerat.

Magnopere ſuſpexit, & coluit eundem cum Sereniſſima Conjuge Eliſabetha Sereniſſimus Bojorum Dux & Elector Maximilianus: ad cujus votum etiam per duos & amplius annos hic Monachij ſubſtitit rebus diuinis aſſiduè intentus. Vbi hinc in Italiam poſtea diſceſſit, tantus, ad illius in quamcunq; vrbem aduentum, populi concurſus eſt factus, vti nec viæ nec areæ, nec templa turbas caperent; quæ fauſtam ipſius precationem expoſcebant; quod eidem ante in Gallijs quoque vſu venit, tanta ſanctitatis illius fama erat.

Taceo ingentia prodigia ab eodem viuo mortuóque paſſim edita, quæ hodie in ſummo orbis tribunali Romæ recognoſcuntur, & ad fidem exiguntur, mihi calamo illi ſacroſancto conſilio non præcipienda.

Vita demum cum magna pietatis ſignificatione Vlyſſipone exceſſit, cùm annum ageret alterum ſupra ſexageſimum religionis initæ ſextum & quadrageſimum, ſub annum à Chriſto nato CIↃ IↃC XXI. ad cujus obitum tota prope Europa ingemuit. Certè Rex Hiſpaniarum Catholicus non minus ſe de ejus morte quàm ſui parentis dolere teſtatus eſt. Luxit eandem ſummus orbis Chriſtiani Pater & Pontifex Paulus Quintus. Luxere purpurati Romæ Patres & Eccleſiæ Principes Cardinales.

Tractauerat ante mortem juſſu maiorum grauiſſimas Neapolitani Regni cauſſas, quibus iam feſſus annis, laboribúſque fractus tandem ſuccubuit, ingenti religionis, pietatis & ſanctitatis fama apud poſteros relicta.

IACHE-

IACHELINA SCHVVARZENBVRGICA.

HÆc matrona ex nobiliſſima Baronum Claramonteſium & comitum de VVelſchneuburg familia nata, verè nobilitatis genus animi bonis & virtutibus geminauit, vti dubites generéne an virtutibus fuerit illuſtrior. Maritus Comes Schvvarzenbergicus ſupremū aulæ præfectum agebat apud Sereniſſimū Boiorum Principem Guilielmū Maximiliani Electoris parentem, à cujus morte duos ipſos & triginta annos vidua ſanctiſſimè transegit. Omnibus enim vitæ curis & commodis abdicata, ſoli Deo Diuíſq; Cælitibus caſtiſſimis votis & precibus litauit. Nec vſpiam ferè per illos annos viſa, quam vel domi ſuæ, vel in æde ſacra D. Michaelis, cujus honori & amori adeo fuit addicta, vt omnem veſtem ſacram è lino confectam ſuis ipſa manibus abluerit, eundémq; Archangelum moritura ex aſſe ſcripſerit & reliquerit hæredem. Nec contenta ſua duntaxat ſalute, teneras quoque virgines, vel apud ſe ancillantes, vel ad ſe ventitantes exemplo vitæ, & ſalutaribus monitis ad intactos cæleſtis ſponſi thalamos ambiendos identidem inflammabat, quibus ita profecere illæ, vti plures triginta ad ſacros parthenonas & cœnobia confugerint. In theſauris gemmarum nihil, nihil auri vel argenti repertres. Ferrum in morte deprehenſum, quo in catenam & anulos diducto tenerrimum corpuſculum ita circum lumbos conſtrinxit, vt à cadauere defunctæ ægrè poſſet auelli, adeo carni adhæſerat, vti tumefacta cute pæne conderetur. Hinc illa, reor, mira oris poſt mortem ſpecies. cùm enim dum viueret, multum palleret, exhauſtóq; vultu & macie confecta videretur, ſub mortem tamen, & poſt mortem purpurantibus genis formoſa, non anum, non matronam, ſed teneram virginem referebat, & neſcio quid ſupra humanū ſpirabat. Multa alia in literas & memorias poſteritatis referri poſſent, niſi ipſa omnino occulta eſſe voluiſſet ſolique Deo nota. Calceis inceſſit exſoleatis à planta, ſicubi verbo contubernales offendiſſet, ſupplex veniam ab illis petiuit. Miniſteria ancillarum ipſa plerunq; ſubijt. lectum ſtrauit, vt ancillis ſuis non rarò ancillaretur. Monachij defuncta Eberſpergæ in D. Mauritij ſacello, jam olim delecto

CIↃ IↃC XXII. 16. Feb. in quadrageſima die Merc. quat. temporum.

Ex annuis Coll. Monacenſ. 1622.

P condi-

condita ſupremam melioris ſponſi vocem, corpus & animum ad æterna gaudiorum præmia vocantem expectat.

Saxo hoc epitaphium eſt inſcriptum.

IACHELINA
GALLONEOBVRGICA. BA-
RONISSA. ORTV, COMITISSA
MATRIMONIO. SCHVVARZEN-
BVRGICO. HIC. IACERE. VOLVIT,
CVM. STARE. AMPLIVS. NON. POS-
SET. IVSTA. TVM. CONIVGIS. TVM. VI-
DVAE. IMAGO; MARITI. OBITV. ET. IPSA
MVNDO. OBIIT. TRIGINTA. DVOS. AN-
NOS. SOLA. CVM. DEO. ITA. EGIT. VT
COELO. DIGNA. COELO. RECI-
PERETVR. DECESSIT
ANNO. AETATIS. LIX. CHRISTI CIƆ IƆC *XXII. Febr. XVI.*
NVLLA. MORTALIVM. CVRA. BEATITATIS. CERTA. ET-
IAM. CADAVER. VIRTVTEM. OSTENDIT. ET. SVPRA
MORTALEM PVLCHRITVDINEM. ET. CATENA. COR-
PVS. AMBIENTE. ATQ; INTRA. TVMESCENTEM
LÆSAMQ; CARNEM. PROPE. VISVM. FVGIEN-
TE. VIVAT. DEO. QVÆ. NVLLI. ALTE-
RI. DVM. VIVERET.
VIXIT.

DE

De Moribus, Vita, Virtutibus

R. P. REMIGII

E SERAPHICO S. FRANCISCI ORDINE CAPUCCINI.

Monachij ſub Annum Chriſti CIƆ IƆC XXVII. pridie Nonas Aprilis piè defuncti. *Ipſo Die Reſurrectionis Dominicæ*

NAtus eſt Religioſiſſimus Pater REMIGIVS in agro Mantuano loco, dicto Bozolo, poſt Virginis partum nono ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimum: Quibus Parentib⁹, qua fortunâ, nondum cognoui; Nec Iuuentutis ſtudia in ſcripto mihi de vita mortéque eius tradito explicata ſunt: Niſi quod jam ante Religionis ingreſſum adoleſcens ter in hebdomade ad menſam nihil præter panem & frigidam adhibuerit, quod inſigne erat argumentum futuræ Sobrietatis & Religionis. Ad ſacrum tamen Religionis portum ex procelloſi Maris, hoc eſt Mundi, fluctibus, quibus Iuuenilis ætas potiſſimum jactari ſolet, maturè confugit, octauo nempe decimo anno abdicatis omnibus Mundi gaudijs, jugum Chriſti promtus ſubijt, crucémque vltro ſuſcepit in feueriſſimam S. Franciſci familiam, quam hodie vulgo Capuccinorum appellant, cooptatus, in qua totos quinquaginta annos religioſiſſimè traduxit, magnis officijs & muneribus, vbi paullulum adoleuit, propè ſemper occupatus. Nam & in ordine doctrinâ, & ingenio clarus diuinam & humanam ſapientiam profeſſus ſuos docuit, & per omnem propè Italiam & Germaniam Commiſſarius Cœnobia ordinis ſui obijt, luſtrauit, & cum magna laude adminiſtrauit paſſimque etiam Eccleſiaſten egit. Et quamuis doctrina ſcholaſticáque Theologia magnopere excelleret; ſummam tamen humilis modeſtiæ curam habuit, à qua totâ vitâ ſuâ nunquam receſſit, ab omni acriore contentione ſemper alienus. Rogatus ſubinde de controuerſis fidei quæſtionibus, modeſtè ſubmiſſéque reſpondit: Hæc eſt communis Patrum opinio, hæc D. Thomæ, hæc S. Bonauenturæ ſententia: Hæc illáue majorem judicio meo habet probabilitatem. Cùm per quadra- *Ex Patr. Script.*

gintadiale jejunium pluribus in ciuitatibus pro concione publicè populum doceret, omnéſque ad ſanctiorem adeóq; cæleſtem vitam & mores quotidie vehementer incitaret, nunquam tamen vbi ex ea prouincia & loco digreſſus eſt, ex illo cognoſci potuit qua in vrbe, quóue fructu verbum Dei prædicarit.

Animi candor in illo tam eximius fuit, vt etiam ſingularem vitæ innocentiam & ſimplicitatem proderet. Nihil enim per ſimulationem agebat, omnia ſincerè, candidè apertéq; quibuſcum verſabatur, pertractabat, vt etiam Principes Viri magnopere illius ſimplici ſinceráq; oratione caperentur. Omnes mortales cujuſcunque ſtatus & fortunæ eſſent, amanter fraternéque allocutus, & tanquam fratres complexus; quo fiebat, vt à nemine non viciſſim amaretur: facilè enim per familiares ſermones cujuſq; animus & mores deprehenduntur.

Religioſæ paupertatis tam ſtudioſus erat, vt etiam quamuis è leuidenſa, & vili lana comparatam veſtem ſi noua eſſet, ægrè admitteret, delectabatúrque magis pannoſis & conſutis attritisque togis quàm recentibus, adeò vt per duos & triginta annos vnico palliolo contentus fuerit. Nec minor cura paupertatis erat in menſa, quando vilia ſibi legumina cibóſque viliſſimos apponi cupiebat. Iejunijs aſſiduis macerabat corpus omniáque ad normam Sancti Patris Franciſci obſeruabat. Poſtremo verò vitæ ſexennio à carnibus omninò abſtinuit, exceptis tribus celeberrimis anni diebus, Natalis, Paſchæ & Pentecoſtes feſtis. Nec cibos ſanè qui guſtum inuitarent, appetebat, quos etiam propè propter ſtomachi vitium jam nauſeabat. Cúmque propter aſſiduas Capitis deſtillationes ſæpius à domeſticis rogaretur, vti mitius ſecum agi pateretur; nihil tamen de conſueto viuendi rigore voluit remittere, videbatúrque magis abſtinentiâ, quàm menſa paſci. Sex & quadraginta annis noxio catarrhi humore laborauit, ita vt totas ſæpe noctes inſomnes ducere cogeretur; nunquam tamen interim animaduerſum eſt, vllum ab illo impatientiæ ſignum editum. Cùm ita ſubinde peruigilaſſet, poſtridie inter ſuos dictitare ſolebat: Hac nocte catarrhus omnem mihi ſomnum ab oculis excluſit, & quod pejus eſt, habui quod agerem, ne in impatientiam erumperem; dictúmque riſu clauſit.

Sæpe etiam grauiter inſidiabatur ejuſdem virtuti, pietatis, hoſtis cacodæmon, ita vt ſemper in acie & prælijs aduerſus vim inferorum conſiſteret & excubaret. Quod niſi cautiſſimè omnia

pericula

Digitized by Google

pericula tentationum circumſpexiſſet, & vbique ſibi cauiſſet, facilè in fraudem deduci, & in vltimum barathri exitium impelli potuiſſet. Interim conſuetam vultu ſerenitatem præferebat, quamuis intus afflictiſſimus eſſet. Et quod mirum dictu ſub re diuina vel ſacrificio, vel ſigno ad Angelicam ſalutationem dato, potiſſimum infeſtabatur, adeo vt illi ſubinde vox interciperetur, & ægrè verba moliretur. Multi illum ſcrupulis exagitari credebant, ſed aliud erat, quod torquebat, non conſcientia, ſed hoſtis inferni importunitas non ſinebat pietatem religioſiſſimi Patris conquieſcere.

Prædicabant alij promerita illius, & præmium apud ſuperos ingens Patientiæ & Religionis expectare jubebant: quos ille verbo retundebat; Omnia ſuæ virtutis opera nulla eſſe, nec ſpem in illis vllam collocandam. Spes inquit mea in ſola Dei miſericordia ſita eſt, illâ ſolâ nitor & paſcor, perſeuerauítque in ea aſſeueratione ad vltimum vſque ſpiritum.

Si quid ab eo quocunque modo, vel tempore peteretur, omnibus ſatisfacere quibuſcunque poterat modis contendebat.

Anno vitæ vltimo cum ſolenne quadrageſimæ inſtaret jejunium fatiſcente corpore, viribúſque defectus exiſtimabat ſe vitam vix ad Paſcha producturum. Itaque adijt Prouinciæ præſidem, qui tum cum ſuis Monachij verſabatur, & abitum parabat. Reuerende Pater, inquit, in hac præſenti vita nos mutuo nunquam amplius ſumus conſpecturi, proinde mihi bene precetur, vt religioſè piéque vita defungar. Præſenſit nempe tela mortis imminentia, quæ ne incautum ferirent, diligenter præuidit.

Ante Palmarum Dominicam quando Angelicę Salutationis feſta celebritas peragitur, quamuis jam ægrè animam traheret, ægriúſque incederet, ne tamen ſolennia illa negligeret, ſupra vires propè ad matutinas publicas adrepſit, & ſacrum quoque fecit. Re diuina peracta, præfectum cœnobio Guardianum allocutus, Hoc inquit, vltimum ſacrificaui; relatúſque ad cellulam ſuam viuus nunquam eſt ampliùs egreſſus. Preces canonicas non ſine graui moleſtia, cùm vox illum deficeret, & lingua hæreret, recitabat, quoad per obedientiæ legem exciperetur & interdiceretur.

Iam non procul ab extremis aberat, cum fune cinguli collo tanquam reus eſſet majeſtatis, ſibi injecto, ſacro ſe Euchariſtiæ viatico ad iter æternitatis communiuit, ab omnibus, qui aderant Patribus fratribúsque præteritorum veniam lapſuum ſerio precatus, qua animi ſubmiſſione omnibus ſingularem pietatis & commiſera-

miſerationis ſenſum & affectum injecit. Aduenerunt interea Sereniſſimi Principes Maximilianus Elector, & Albertus cum Sereniſſimis conjugibus ſuis ſupplicéſq; vltimam benedictionis gratiam precati, tandem ægrè impetrarunt: quod ille Sereniſſimos multo ſe religioſiores arbitratus, ipſorum fauſta ſalutaríque imprecatione impertiendum ſe exiſtimaret.

Vltimò ante pium felicémque exceſſum grauiſſimis morbi doloribus excruciatus Gratias Deo ſingulares meminit, quod ipsũ tanto fauore dignaretur, & in præſenti vita expiari curaret. Itaque aſſiduè pectus velut publicanus ille Euangelicus tundebat, quoad defeſſæ manus collaberentur, & quartam inde poſt horam animam Deo commendaret, quæ haud dubiè feliciter in cælum emigrauit.

Poſt beatum ejus obitum repertum eſt ſetoſum & aſperum cilicij ſagum, quo affectum jam ſenio, & inediâ exhauſtum corpuſculum adhuc tamen torquebat & excruciabat. Vixerat in religione annos quinquaginta, agebat octauum & ſexageſimum Ipſis Paſchalibus anno poſt C. N. milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo extinctus: Ad cujus corpus in templo pro exequijs expoſitum tantus hominum concurſus factus eſt, vt ædes ſacra vix caperet, alijs flores aſpergentibus, quos abituri ſecum velut ſacro reliquiarum contactu conſecratos ſecum auferebant; alijs coronas & roſaria applicantibus; alijs etiam cingulum aut cilicium, aut librum precatorium auferentibus; nonnullis ipſum quoq; palliolum vellicare audentibus, petentibúſque vti poſtridie rurſum corpus publicè exponeretur. Tanta erat cunctorum de viro religioſiſſimo concepta pietatis exiſtimatio.

Deum Opt. Max. ſubmiſsè precor, vt religioſiſſimum P. Remigium, quem mortalem in terris familiariter noui, beatum & immortalem olim ſalutem in cœlo.

S. MA-

S S. MAGNVS ET TOZO.



Fabula priſca tace, veteréſq; tacete Marones
Fortior Alcide, credite, MAGNVS hic eſt.
Solis hic votis elidit monſtra Draconum,
Horrendaſq; feras, terribileſq; Boas.

Tozo facem geſtat, quam flamina nulla fatigant,
Nec potis eſt undis obruta flamma mori:
Miratur NEREVS, ſtupet Æolus; imperat ergo
Fax Tozo ventis, fax tua Tozo mari.

Digitized by Google

Digitized by Google

S. MAGNVS

Año IↃCLXXVI. Ad I. Vol Bau. S. referenda. Decerpta ex vita S. Magni ab adm. Reu & Religioſiſſ. Domino Martino Abbate Füſſenſi edita, correcta & aucta.

Conditor & Cultor Cellæ in Bauaria ad VValtenhofen, olim Altenhofen, quæ S. Magni appellatur; idémque

Primus ad Abuſiacum Füeſſenſis Cœnobij auctor & Abbas.

Sanctus item Toſſo ſeu Tozzo ex Primo Parocho VValtenhofenſi Bojariæ Epiſcopus Auguſtanus.

CVm horúmce geminorum & ſanctiſſimorum Patrum Præſulum & heroum Acta, Peregrinationes, Miracula, domicilia quoq; in Bauaria ita fuerint conjuncta, vt inter ſe, ſine detrimento alterius non poſſent ſeparari, calamo quoque & chartis iconibúſque eoſdem conjungendos cenſui, quamuis omnia fuſius de S. Magno tradantur, qui Patria Scotus * Hibernus regio ſanguine prognatus, patrem habuit Seuerum, matrem Theocleam. Nomen Magno primum fuit Magnoaldus, quod illi deinde populus ipſe propter magnitudinem prodigiorũ attonitus vertit in Magnum. Hic ergo admodum adhuc adoleſcens conſilium cepit patrię, parentum, opum, omniúmque mundi gaudiorum & deliciarum relinquendarum, vt hoc expeditius ſoli conditori ſuo inſeruiret & placeret, exemplo nempe, quod in omnem partem plurimum poteſt, S. P. Columbani & Galli, qui ex eodem regno neglectis omnibus ſæculi commodis primum in Gallias diuerterunt, & inibi Luxouienſe Cœnobium condiderunt. Huc primum delatus hic noſter Magnus per S. Gallum Columbani diſcipulum ſibi aditum ad ipſum Columbanum aperiri voluit, quem ille mox, vt promtum ad ſanctiorem religioſæ vitę diſciplinam perſpexit, Columbano præſentem ſtitit, qui agnita Magni voluntate & petitione reſpondit, opus eſſe tirocinio experimentóque aliquo piæ voluntatis, antequam in familiam Patrum Religioſorum admittatur, vt conſtet vtrinque, & Patribus placere deſiderium adoleſcentis, & tironi arridere Inſtituta Patrum. Cùm ergo Magnus ſingularem religioſorum modeſtiam, & plus quàm fraternam in ſe mu-

* *Ibernus.*

Digitized by Google

ſe mutuam charitatem, laborum omnium aſſiduam exercitationem & admirandam in aduerſis tolerandis patientiam mirúmq; rerum diuinarum ardorem tacitus apud ſe conſideraret, & Angelos ſe non homines ſpectare putaret, vehementer illius vitæ complectendæ deſiderio exarſit, præſidémque ipſum Columbanum iterum adijt, & ſeſe ad omnia infima paratum oſtendit, dummodo ſe non ab tam pia ſanctáque Societate Patrum excluderet, æternum ſe vſu & mancipio Deo Patribúſque inſeruiturum. Placuit Columbano pius Magni animus, ſatiſq; jam mente ejus explorata, religioſa veſte plaudentem & exultantem induit, & in cœtum ſuorum admiſit, fidéq; ejus probè perſpecta, cellæ & penoris curam commiſit, promúmq; condum creauit. Cujus induſtriam Deus mox ingenti miraculo comprobauit. Deſcenderat miniſter triclinij ad Cellam vinariam, vt inde zythum in obbam è dolio duceret; jamq; epiſtomium Siphunculi non ſolum obuerterat, ſed omnino extraxerat, manúque tenebat, vt eo liberiùs cereuiſia in ſubjectum vas decurreret. Inclamatur interim à Magno triclinij famulus, qui ſtudio obedientiæ oblitus epiſtomium Siphoni indere, & os fiſtulæ occludere, illud etiam ſecum abſtulit, & manu ferebat, quando ad Magnum accurrit, à quo cum audiſſet, quod is imperarat, viſo Magnus in manu tricliniarij epiſtomio quæſiuit, quid manu ferret? deprehendit illico triclinij miniſter ſuum errorem, & pallens treménſq; ad cellam recurrit, vidétque excipulum zytho jam plenum, ſed nihil exundans aut effuſum, ſed in modum coronæ & turris è capedine ſurgentem & aggeſtum. Attonitus rei miraculo accurrit ad Magnum & affuſus pedibus ejus, quid in cella acciderit narrat; cùm ipſe exiſtimaſſet totum zythi dolium in terram effuſum. Magnus rem cum Vuiginozo presbytero cœnobij communicat. Currunt ambo ad cellam & rem, vti miniſter menſæ nunciarat, ipſi incoram aſpiciunt, contemplantur, obſtupeſcunt. Sed Magnus complexus Vuiginozi pedes: Quid inquit, agemus? hæccine Beato Patri noſtro Columbano renunciabimus aut reticebimus? *Abſit*, inquit, *VViginozus vti tantum prodigium beatũ Patrẽ noſtrũ celemus*. Ambo ergo ad Columbanum anhelantes & attoniti properant, pedibúſque ejus accidentes, quid in cella & quomodo quantúmque miraculum acciderit, exponunt. Hîc verò certamen acre inter Magnum & Columbanum exortum eſt, cum Columbanus prodigium gratiæ Magni diuinitus conceſſum affirmaret, Magnus contra, nulla ratione ſuis id promeritis tribuendum contenderet,

non

Digitized by Google

non ſecus ac quondam inter S S. Benedictum & Maurum nata erat controuerſia de Placido puero ex Aquis à Mauro per lacum currente extracto, cùm S. Benedictus Mauri obedientiæ miraculum aſſignaret, Maurus imperio S. Benedicti id factum diceret. *Vir autem*, inquit Gregorius Magnus, *venerabilis Benedictus cùm in Cella conſiſteret, prædictus Placidus puer ſancti viri monachus ad hauriendam de lacu aquam egreſſus eſt: qui vas, quod tenuerat in aquam incautè ſubmittens ipſe quoque cadendo ſecutus eſt. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius ſagittæ curſum eum à terra introrſus traxit. Vir autem Dei intra cellam poſitus hoc protinus agnouit: & Maurum feſtinè vocauit dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: jámque eum longiùs vnda trahit. Res mira & poſt Petrum Apoſtolum inuſitata. Benedictione etenim poſtulata atque percepta: ad patris ſui imperium concitus perrexit Maurus. Itaque vſque eum locum, quo ab vnda deducebatur puer; per terram ſe ire exiſtimans, ſuper aquam cucurrit, eúmq; per capillos tenens curſu rapido redijt. Qui mox vt terram tetigit, ad ſe reuerſus poſt tergum reſpexit, & quia ſuper aquas cucurriſſet, agnouit; & quod præſumere non potuiſſet vt fieret, miratus extremuit factum. Reuerſus itaque ad patrem rem geſtam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non ſuis meritis, ſed illius obedientiæ deputare cæpit. At contra Maurus pro ſolo ejus Imperio factum dicebat: ſeque conſcium in illa virtute non eſſe, quam neſcius feciſſet. In hac itaque mutuæ humilitatis & amica contentione acceſſit arbiter puer qui ereptus eſt, qui & dicebat: Ego cum ex aqua traherer, ſuper caput meum melotem abbatis videbam, atque ipſum me ex aquis educere conſiderabam.* Lib. 2. Dial. cap. 7.

Vicit ergo Benedictus in Mauro, ſed Magnus in Columbano; Nam Columbanus, *Vidi*, inquit, *Angelum Dei præcedentem te, quando Soniarium* (ita triclinij ſtructorem ſeu miniſtrum appellabant) *vocabas, qui ſignum Crucis ſupra typrum* (obbam nempe ſeu excipulum) *fecit, & vt vidiſtis, ſicera in modum coronæ ſtetit. O magnum diuinæ potentiæ donum, quia tibi adhuc neophyto ſeruo ſuo Dominus tantam gratiam conferre dignatus eſt, vt jam MAGNVS inter fratres voceris.* Hæc Columbanus. Ejectus eſt deinde Columbanus cum Gallo, Theodoro, & Magno è Gallia & Luxouio, à Theodorico, Brunihildis auiæ impiæ reginæ & decem regum interfectorum ſanguine ebriæ ſuggeſtu & impulſu. Delatus inde Columbanus cum ſuis per varias regiones tandem ad lacum Acronianum & Brigantium peruenit, vbi in ſolitudine commoratus pomis ſilueſtribus & cerere, & nonnunquam etiam captis ex inſidijs auiculis vitam tolerauit. Sed ingruente dira fame, cùm S. Columbanus Magno-

Digitized by Google

aldum ſeu Magnum ad ſilueſtre pometum miſiſſet, vt inde annonam Columbano, & ſocijs ex arboribus colligeret, atque ad cellam afferret. Promtus exequitur Magnus Columbani Imperiū, ad ſiluam properat, & notum jam arboretum ingreditur, vt inde ſuis poma ſeu potius lapidoſa corna legat, & in cibum Columbano & ſocijs apponat. Sed inter agreſtes pomos graſſantem immanem feram procul aſpicit, quæ ore manúque fructus lambebat carpebátque & hianti ori ingerebat. Vrſus erat ingens qui paſtum id loci quærebat. Recurrit & Columbano de fera belua nunciat Magnus, ſe non auſum fuiſſe ad locum propius accedere, ne ipſe Vrſo præda fieret. Redi, inquit Columbanus, in ſiluam, & diuide paſtum inter nos & feram. Abijt Magnus ſui Magiſtri imperio fretus, & virga ſignatas arbores inter vrſum & ſuos diuiſit. Paruit fera quaſi ſenſu prædita Magno, nec quidquam de altera arborum parte patribus aſſignata attigit, ſibi tantùm conceſſis & ſignatis contenta.

Iam tertius annus ibat cùm ad Brigantium viri Sancti multa præclara ad Dei gloriam, & populi ſalutem perpetrabant. Ædem ſacram S. Aureliæ inſtaurabant, eandem Columbano initiante, & publicè pro Encœnijs ſacrificante, populo miris modis applaudente. deinceps pro concione plebem erudiebant, ſtultum & inſanum ſimulacrorum & dæmonum cultum execrati, ſtatuas, imagines & idola comminuebant. Quod cùm pulſus inde ſtygius draco ferre non poſſet, quoſdam è populo impulit, vt, querelâ ad Gunzonem Sueuiæ regulum delatâ, Brigantio viri ſancti pellerentur: imo duos, qui bouis illorum actores inſequebantur, occiderunt. In cujus pœnam Cacodæmon Gunzonis filiam Fridiburgam occupauit, quam Epiſcopi curare non poterant, ab S. Gallo ſæpius per epiſtolas Gunzonis rogato, tandem pulſo crudeli hoſpite perſanata eſt.

Diuortium inde inter Columbanum & Gallum factum; cùm enim communi conſilio omnes Italiam adeundam decreuiſſent, Gallus morbo correptus ſequi Columbanum non potuit, qui ne ſolus æger omni auxilio deſtitueretur, à Theodoro & Magno, volente jubente Columbano, ſubleuatus eſt. Ipſe in Italiam profectus ab Agilulpho Longobardorum rege amiciſſimè exceptus, non procul Mediolano Mobianum Cœnobium, ipſo rege neceſſaria ſubminiſtrante, exædificauit, quod poſtea miris modis effloruit. Sed ipſe Columbanus non diu prouixit, anno proximo piè ſanctéque defunctus, quod mox S. Gallo per noctem diuinitus

tus ſignificatum eſt, qui Magnum id temporis jam Diaconum in Italiam, Modium miſit, vt de vita & morte Columbani, obſeruatis omnibus rerum momentis & prædictionibus, diligenter inquireret. Abijt, rediítque, ſecúmque pedum paſtorale, ſeu virgam ſacram (quam vulgo, vt eſt apud auctorem vitæ S. Magni, Cambattam vocabant) ac literas ad Gallum retulit, qua illi rurſum ſacrificandi poteſtas facta, omniáque ſingillatim, quæ ad mortem ejus & ſepulchrum pertinebant, Gallo expoſuit. Extincto B. Columbano Magnus ſe totum B. Galli auctoritati permiſit, totóque decennio ſub religioſiſſima ipſius diſciplina vixit. Tum B. Gallus à Vuillimaro presbytero à Sangallenſi ſtatione vbi B. Gallus, eucheterium conſtruxerat, Arbonam inuitatus venit, ibíque morbo interceptus extremum vitæ diem clauſit. Magnus cùm religioſi Magiſtri ſui lethalem morbum ſentiret, ad Ioannem Epiſcopum Conſtantienſem nuncium cum literis miſit, qui vltimum illi B. Galli periculum nunciaret. Properauit Ioannes Pontifex Conſtantienſis ad B. Gallum, ſed illo jam defuncto, Arbonam peruenit, vbi juſta illi funebria cum Vuillimaro, Magno, & Theodoro perſoluit. Corpus B. Galli ad Sangallenſem cellam miraculo per equos, nec frenatos, nec jugo aſſuetos delatum, ibidémque conditum, hodiéque à toto pæne Chriſtiano orbe viſitur, colitur & celebratur. Deceſſit natus annos quinque ſupra nonaginta, poſt Chriſtum natum 10 c. quarto & vigeſimo. Atque hactenus de SS. Columbano, Gallo, Magno, Theodoro, mixtim; nunc ad ea quæ ſunt S. Magni propria, & in Bauaria ab illo geſta accedamus.

Annis aliquot ab obitu S. Galli Ottovvinus Dux Sueuorum, vir impius & ſacrilegus S. Galli cœnobium cum ſuis ſtipatoribus aggreſſus diripuit. & quicquid auri & argenti in ſacra ſupellectile repertum eſt, ſecū abſtulit, religioſos præter S S. Magnum & Theodorum occidit; conditorium etiam buſtirapus aperuit, ratus ſe ingentes illic theſauros eruturum. Magnus autem & Theodorus, vicinos populos ad ſacras S. Galli exuuias concurrentes, qua potuerunt charitate exceperunt, quos tamen impius Ottovvinus flagris conciſos, vulneribúſque confectos in atrio velut jam depoſitos & ſemineces reliquit. Quod vbi Boſo antiſtes Conſtantienſis accepit, illico accurrit & cœnobium euerſum, templum exinanitum, aras deueſtitas & profanatas omníque cultu ſpoliatas inuenit. Magnum & Theodorum grauiſſimè afflictos & ſaucios, qua potuit verborum lenitate permulſit. Corpus S.

Digitized by Google

Galli loco ſuo & conditorio reſtituit, & Magno ac Theodoro quò vellent, abeundi poteſtatem fecit. Illi conſulto per infimas preces numine, redierunt in memoriam oraculi, quod ab S. Columbano acceperant, Magnum olim ad fauces alpium Iuliarum, quà Orientem ſpectant, venturum, quo loco quondam S. Narciſſus (qui S. Afram cum familia, Auguſtæ Vindel. à profano & impuro Veneris cultu ad ſacra Chriſtiana tranſtulerat) immanem draconem ad fontes Alpium Iuliarum ſtabulantem & aquas nocentiſſimis venenis inficientem interfecit. Confirmati ambo, nouo per noctem objecto viſo, quo jubebantur ad fauces Alpium Iuliarum (vbi poſtea Magnus illuſtre * Monaſterium poſuit, quod hodiéque Patrum fratrúmque religioſorum, & numero, & pietate mirum in modum floret) properare, ibi ſolitudinem & locum opportunum cultui diuino reperturos. Poſtridie iter inituri Deum precantur, vti ſibi ducem aliquem viæ ſubmitteret, quo ad ignota illa loca tutius & citius aſpirarent. Mirum dictu, ſub meridiem adeſt S. Toſſo ſeu Tozo presbyter, poſtea antiſtes Eccleſiæ Auguſtanæ creatus; Is manu cereum geſtabat, qui ſub noctem ſua ſponte accendebatur, vt viam Toſſoni luceret, vbi ſol aſtra extinguebat, cereus quoque occœcabatur, donec Sol occumberet, quo tempore, cerei quoque lux cum ſideribus iterum renaſcebatur. Nec interim cera deficiebat aut decreſcebat. Magnus & Theodorus cum Toſſonem è longinquo aduentantem proſpicerent, peregrino ambo occurrunt, conſalutant, & officioſiſſimè rogant, quid adſit, quæ cauſa viæ & vnde profectus ſit? Affirmat ille, ſe fama S. Galli excitum, & cæleſti quoque nutu admonitum, vt ad cineres S. Galli ſupplex veniret. Narrat etiam de cereo rogatus quid ſibi acciderit. Admirabundi Magnus & Theodorus, Toſſonem ad S. Galli Conditorium deducunt, vbi precibus fuſis ſurgentem inde Toſſonem hoſpitio & prandio cœnáq; excipiunt, ſecúmque per illam noctem retinent.

* *Füeſſenſe*

Verùm quæ de cereo in actis S. Toſſonis traduntur, quòd per totum iter & totas noctes ardendo nec ventorum flabris, nec imbribus extinctus ſit, nec defecerit, etiam ſimilibus exemplis aliorum confirmari poſſunt. *Ioannis inprimis Anachoretæ* de quo Ioannes Moſchus Euiratus in Limonario ſeu prato ſpirituali cap. 180. *qui vir magni nominis & præcipuæ ſanctitatis fuit, & peregrè abiturus cereum in ſpelunca ſua ad imaginem D. Virginis accendit, qui nec conſumtus nec extinctus fuit, quoad rediret, quamuis ſæpe poſt menſes duos, tres aut ſex demum reuerteretur.*

Memora-

Memorabile quoque eſt, quod Lipſius in Virgine Hallenſi *c. 21. de cereo ſeſquipalmi duntaxat, narrat per totam noctem lucente & nihil prorſus diminuto.*

Inſequente die Magnus, Theodorus, & Toſſo prima luce ſalutatis fratribus, & ad ſepulchrum vltimum S. Galli procumbentes iter ingreſſi ſunt, lacúmque Brigantinum & Brigantiam transgreſſi cœco occurrunt, qui ſtipem ab illis emendicauit. cui B. Magnus pro ſtipe oculos aperuit; quem reſpiciens curatus etiam ſequi voluit, admiſſúſque eſt à S. Magno in ſocietatem comitum ſuorum. Vbi Campidunum ventum eſt, opidum, hodie elegans & amœnum, conſpexerunt, ſed ab incolis id temporis penitus deſertum, quod inibi tanta noxiarum beſtiarum, vermium ac draconum copia graſſaretur, vti nemini viatorum ne per vnam quidem noctem liceret illic conquieſcere. Non paucos enim ex venatoribus hîc paululum commorantibus occiderunt, aut viuos deglutiuerunt. Proinde, inquit Toſſo, quantum fieri poteſt, hinc abituriamus, ne nos vlla fera deprehendat. Imò verò inquit B. Magnus hîc pernoctemus, & noxias beſtias hinc abigamus, vt S. Gallus in Heluetia ſuum locum, vbi ſacrum poſtea domicilium collocauit, à venenis repurgauit, & habitabilem fecit. Proinde tu Theodore in genua procumbe, & votis Deum nobis propitia. Nos contra immanem beluam ad prælium procedemus. Boas autem hoc genus, draconas & monſtra appellabant veteres, vt annotauit editor vitæ & corrector c. 74. *Sub Claudio Imperatore in Vaticano Boa occiſa ſunt in tantam magnitudinem exeuntes, vt ſolidus in aluo infans ſpectatus ſit. Ita Plin. lib. 8. natur. hiſt. cap. 14. Et Solinus lib. 8. Item S. Hieronym. in vita S. Hilarionis: Duxerat, inquit, Sanctum (Hilarionem) ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, vbi paucis diebus in vicino agello manſitans, non potuit abſcondi. Siquidem draco miræ magnitudinis (quos Gentili ſermone Boas vocant, ab eo quod tam grandes ſint, vt boues glutire ſoleant) omnem latè vaſtabat prouinciam, nec ſolum armenta & pecudes, ſed agricolas quoque & paſtores, tractos ad ſe vi ſpiritus ſui abſorbebat. Cui cum pyram juſſiſſet præparari, & oratione ad Chriſtum miſſâ euocato populo, præcepiſſet ſtruem lignorum ſcandere, ignem ſuppoſuit. Tum itaque cuncta ſpectante plebe, immanem beſtiam concremauit. Hæc Hieronymus. Plura apud clariſſimum D. Matthiam Burklener in ſuo theſauro hiſt. lib. 6. Anno 49.* *lib. 11. c. 21.*

His reſpondet Aeliani draco immanis, cubitos ſeptuaginta longus, oculis ad modum clypei Macedonici ingentibus, qui caput ex immani antro protulit, & horrifico ſquamarum ſtrepitu & terrifico ſtridore tantum non exanimauit exercitum Alexan-

dri tranſeuntem. Dum ergo S. Magnus & Theodorus in preces effuſi cæleſtem opem aduerſus hoc immane prodigium expeterent, monſtrum hoc ingens, & informe ex opido prorepit, & impetum in viros ſanctos facit. Toſſo presbyter externatus animo: Ah, inquit, quid feci, quod ſanctos hoſce viros huc deduxerim, & in tantum vitæ periculum conjecerim, ſimúlque cum illo cœco, cui Magnus videndi facultatem diuinitus contulerat, in prçaltam arborem, tanquam aſilum enixi è propinquo, Magni & Theodori periculum ſpectabant. Beatus autem Magnus ſe cœleſti Crucis ſigno communiens, arrepto ſacro pedo, quod à S. Gallo acceperat, nec non reliquiarum theſauro, quem argentea incluſum thecâ à collo ſuſpenderat, atrociſſimæ beluæ occurrunt: *Et impero tibi,* inquit, *Magnus, in nomine Domini mei Ieſu Chriſti, vt hic jaceas, & diabolus qui in te latitat, ipſe te interficiat, adjuratus per Deum viuum & verum.* Pedóque beluam percuſſit, quo ictu immane portentum monſtri illico tanquam fulmine ictum exanimatúmque concidit & interijt, ſimúlque noxiæ feræ & vermes omnes in ignotas & remotas ab opido latebras ſeſe abdiderunt, nec vſquam amplius apparuerunt. Ita Campiduni ab omnibus venenis repurgati, templum ac demum nobiliſſimum cœnobium eſt conditum, (cujus antiſtes hodie etiam S. R. Imperij Princeps eſt,) prædicante vbique miraculum Toſſone, & mortales paſſim ad fidem Catholicam traducente, quorum magnam copiam ſacro fonte tinxit. Magnus cum octiduum à patrato prodigio Campiduni commoratus eſſet, & Theodorum Comitem ſuum, perpetuum parœcum & curatorem loci conſtituiſſet, cœcúmque receptis oculis illi ſocium velut rerum omnium teſtem adjunxiſſet, inde profectus vti ſe VVicterpo Epiſcopo Auguſtano ſiſteret, ipſiúſque bona veniâ in ipſius diœceſi degeret, Heptaticum, qui pagus eſt in Boica inter Landſpergam & Schongauiam ſitus, venit, vbi ſubinde VVicterpus Epiſcopus veluti in patrio ſolo, & paternis bonis certis anni temporibus quietis cauſa morari conſuêrat. Pontifex à Toſſone, quã Magnus vir eſſet, edoctus, eundẽ amiciſſimè cõplexus, aliquot dieb. apud ſe detinuit, multa ſuper SS. Columbano & Gallo rogitando, poſtremò quæſiuit, quo tenderet, aut vbi ſedem figere decreſſet? Deo, inquit Magnus, duce adſpiro ad locum, qui ad fontes & fauces Alpium Iuliarum eſt, vbi S. Narciſſus Draconem interfecit. Ibi quicquid ad ſalutem aliorum potero efficere omni ſtudio contendam; ſed hæc omnia ex nutu & conſilio Reuerendiſs. Sanctitatis tuæ molior: ego enim jam feſſus annis illic

De Heptatico nos vol 1 p. 50. in S. VVicterpo plenius

cogito

Digitized by Google

cogito vltimæ vitæ dies exigere. Res, inquit VVicterpius hæc operoſa erit & ardua. Nam in faucibus illis magnæ ſunt anguſtiæ, altæ vallibus imminent rupes, via peranguſta à feris immanibus obſeſſa, nam præter ceruos; apri ſilueſtres, vrſique ferociſſimi paſſim oberrant, nec quenquam impunè illic vel degere, vel tranſire etiam patiuntur. Accedit, nidificare ibidem noxios vermes, venenatos ſerpentes, adeoq; etiam dracones. Nihil, inquit Magnus, hæc omnia me terrent, didici à Magiſtris meis Columbano & Gallo, qui quando hujuſcemodi loca acceſſerunt, eadem ab omni peſte venenorum, precibus ſuis, inuocato Chriſti nomine, mox repurgarunt. Spes mea tota à Chriſto pendet, cujus auxilio ſpero me valles illas & fauces habitabiles facturum. Acquieuit Epiſcopus, & ducem itineris illi Toſſonem adjunxit. Magnus rectà Campiduno ad Orientis partes, hoc eſt, ad Lycum contendit, cúmque ad Hippocephalum ſeu equi caput perueniſſet, vbi venatores, cum vel in venationem egrederentur, vel inde redirent, equos tantiſper religare ſolebant, donec illic neceſſaria procuraſſent, vnde loco nomen ab equis inhæſit. Sed jam tum penitus erat deſertus propter peſtilentes feras, quæ illic ſenſim nidificarant, & quicquid deprehendebant & infecerunt, & deuorarunt. Erat illic inter majores ſerpentes nocentiſſimus draco, qui viatores, ſi quos ex antro proſpexiſſet, inuadebat, & hauriebat. Magnus verò nihil de hoc ſolicitus, ſub mediam noctem ad Toſſonem: da mihi quæſo ducem, inquit, qui me ad antrum feræ deducat, vt illam feram cœleſti pharmaco conficiam. Sed Toſſo tergiuerſatus; timeo inquit, pater, ne ſi te illuc deduci curem, ab illo immaniſſimo portento abſorbearis. Cui Magnus, magno animo: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* qui Danielem liberauit de ſcrobe Leonum, poteſt & me ex faucibus hujuſce rictùs eripere. Ergo ſuſpenſa à ceruice Cruce ſacris Diuorum pignoribus plenâ, altera manu S. Galli pedum arripuit, alteram reſina & pice impleuit: in peram verò panem ſacra comprecatione conſecratum conjecit, atque his armis in hoſtem ſub mediam noctem proceſſit: quem vt præſentem fera ſenſit, illico hiantibus oris faucibus in illum impetum fecit. Sed Magnus ſacro ſe crucis ſigno muniuit, & picem reſinámque in os draconis conjecit, opémque Numinis implorauit, quo factum, vt immane illud ſerpentis prodigium concepto igne medium crepuerit & occubuerit. Magnus è veſtigio in genua procubuit, & meritas Deo gratias perſoluit. Ductor *M*agni ſtatim ad tabernaculum Toſſonis & alios accurrit, hoſtémq; à *Ma*-

Roßhaupten.

gno proſtratum nunciat, qui omnes ad *M*agnum properant, & beluam jacentem conſpicati magnis Deum laudibus celebrarũt, qui alterum ad ipſos Danielem miſerit.

Waltenhofen in Bauaria.

** S. Magni Cellam.*

Hinc *M*agnus trajecto Lyco in Bauariam tranſijt, & in amœnō virentíque prato non procul à flumine * templum domúmque exædificauit, VValtenhofen hodie parœciam vocant, cui Decurio ſacerdotum etiam nunc præeſt. Aedes ſacra Magnæ Dei Matri & S. Floriano ab Epiſcopo VVicterpo initiata eſt. Eiq; Toſſo, poſtea Pontifex Auguſtanus, præfectus. Manſit ibidem ſanctus Magnus tamdiu donec fama illius propter ingentia miracula, quæ patrarat, longè latéq; didita ingentem populorum vim paſſim exciret, illiúſque religioſam quietem penitus turbaret & obrueret. Non conſtat quot annis, aut quàm diu VValtenhofij habitarit. Ex illo tamen loco demum ad vltimũ vltimæ ſenectutis aſilum confugit Abuzacum, quod eſt ad fauces Alpium Iuliarum vulgo Füeſſen, quod nonnulli ab impreſſis à Magno pedum veſtigijs dictum putant, quæ in vtraque parte Lyci reliquerit, quando ab angelo ex altera in alteram fuit ripam translatus, hoc eſt ex Bauaria in Sueuiam, quas prouincias Lycus velut limes magna ex parte inter ſe diuidit.

Vbi Abuzaco proximus fuit, ingentes & miſerabiles vlulatus, cum ex Lyco tum vicinis rupibus accepit. Inferni Lemures aduentum S. *M*agni ſenſerunt, & ſimul in ejus exitium conjurarunt, ſed expreſſo S. Crucis ſigno: *In nomine*, inquit, *Domini mei Ieſu Chriſti non per mea, ſed per beati Galli Confeſſoris Chriſti merita, & per glorioſam ejus depoſitionem adjuro vos, vt recedatis de iſto loco, & vlterius neque hîc manere, nec quemquam etiam nunc recedentes lædere præſumatis.*

Regreſſus eſt inde *M*agnus ad beatum Toſſonem trans Lycum ad ædem S. *M*ariæ, illíque expoſuit, quos dæmonum ejulatus in Alpium faucibus audiſſet, dúmq; ſimul veſpertinas preces Deo perſoluerent, rurſus ex vicinis rupibus, (quas jam laruæ illæ infernæ inde proſcriptæ & fugatæ deſerere cogebantur,) horribiles abeuntium illic & recedentium vlularum ejulationes audierunt, Deóq; omnia in acceptis retulerunt. Poſtridie Magnus cum Toſſone trajecto rurſum Lyco ad diu deſideratã ſolitudinem redijt, ibíq; ſacrarium ſupra petram majoris Eccleſiæ, poſtea extructæ, poſuerunt, quod hodie S. Sebaſtiani ſacellum appellitatur, ſequentibus annis ingenti populi concurſu in parœcianam & ſumum cœnobij templum eſt verſum, quo à S. VVicterpo multi etiam Clerici ad ſanctum *M*agnum miſſi ſunt, vt ibidem religio-

ſè in-

Digitized by Google

ſè inſtituerentur, & ſancti *M*agni diſciplinæ ſubijcerentur. Quæ deinceps de ejus ſacerdotio, nouis miraculis, prodigijs, & feris illi obtemperantibus, multis capitibus denarrantur, ego hîc prætereo, quod extra Bauariam geſta, & in promtu ſint volumine de vita S. Magni edito. Interim S. VVicterpus inſulam Auguſtanam cum vita poſuit, ad quam ſuffragio S. Magni potiſſimùm Toſſo ex VValtenhofen translatus eſt. Interim *M*agnus ſenio & morbo confectus ad vltima properabat: quod cum Toſſo Pontifex Auguſtanus & Theodorus Campiduni antiſtes inaudiſſent, certatim Abuzacum accurrerunt, animámque ejus poſt aliquot dies votis & precibus exceptam, multis funus lacrimis proſecuti ſunt. Impensè enim vterque virum ſanctum, tamquã ſalutis ſuæ poſt Deum maximum auctorem amabat. Sed ecce mirum dictu dum ad fatalem ejus lectulum, & corpus exanime plorant, accipiunt ambo vocem è cælo, animam Magni ad cælum inuitantem: *Veni Magne, veni; accipe coronam quam tibi Dominus præparauit.* Hic Toſſo, quid, inquit, amplius lacrymis indulgemus, cùm potiùs plaudendum ſit, & viro S. applaudendum de certa animæ ejus immortalitate & triumpho. Ad templum ergò properemus, & ſalutares hoſtias pro gratiarum actione Deo immolemus. Hic ſancti Magni viuendi finis fuit, quem poſt quinqueñium, & paucos menſes ſecutus eſt Toſſo, ſub annum Chriſti I Ↄ C L X X V I. XVII. Cal. Febr. De S. Magni extremo vitæ anno inter ſcriptores valde certatur, dum alij defunctum ajunt 654. alij 673. alij 683. alij 671. Vixit annos tres & ſeptuaginta. Celebratur dies illi feſtus VIII. Idus Septembr. poſtquã in Sanctorum numerum eſt relatus; ſicut & Toſſo inter Sanctos jam pridem coli cœptus eſt. *Anno 676. 16. Ian.*

Salue pie Lector & vale. ſeruo adhuc in ſcrinijs meis illuſtrium quorundam virorum, Virginum ac matronarum ex Boica gente principum piè quædam dicta & facta, olim fortaſſe in lucem edenda:

Nunc injecta mihi manus eſt, calamúſq; repreſſus.

Submiſſa eſt mihi forma & magnitudo corporis S. hujus pueri Eyſtadio per Nob. & Excell. D. Doct. Thomam Thiermair Medicum, quam placuit hic ad nonam proportionem propter



Forma et modus corpuſculi S. Pueri et M. Michaëlis trimuli et ſemestris in Hietingenſi pago ab Iudæis crudeliſsimè excarnificati et interfecti ex nona proportione iustæ staturæ.

magnitudinem imaginis redactam, repræſentare. Interim in 3. Vol. Bau. S. p. 176. v. vlt. pro Titingenſi, l. Hietingenſi. Et p. 179. v. 5. eand. vocem eod. modo corrige. *M*artyriũ ipsũ habes p. 173.

Digitized by Google

INDEX RERVM AD BAVARIAM PIAM.

ABas Pannonum Rex. Pag. 38

Adelbertus Comes Conditor Cœnobij Hirſaugienſis. 50

Adelbertus Comes ſub nomine Patroni & Aduocati Hirſaugienſis Cœnobij direptor & vexator 51. Cogitur à Wilhelmo Monaſterium libertate donare. 51. Literas falſas componit. ibid. Iterum vexat Monaſterium. 52. Malam fidem emendat 53

Adelbertus diuinitus caſtigatur. 53. Formulam ſinceram componit 54

Adalvvinus Epiſcop. Ratiſpon. 6

Ado 2

Agilulphus Rex Longobardorum, S. Columbanum excipit. 180. Neceſſaria ad monaſterium condendum ſubminiſtrat 180

Agnes ſeu Hagne vxor Henrici III Gudelmi Pictauorum reguli filia ibid.

Agnetis nuptiæ ſanctè celebratæ 39

Agricola Voburgenſis Innocens 3. à Latronibus ſtrangulatur domi ſuæ. ibid. ſuſpenditur. ibid. per errorem ſub patibulo à magiſtratu ſepelitur ibid. Mira patrat mortuus. ibid. Latrones comprehenſi vltro ſcelus fatentur. ibid. Epiſc. Ratiſponenſis cum ſolenni cerimonia & ſupplicatione corpus Agricolæ Voburgum deportat, vbi ejus in miſeros beneficia extant. 112. Latrones vltimo ſupplicio mactantur ibid.

B. Aloyſius Gonzaga ex libris Petri Caniſij multum profecit. 145. 146

Anaſſus 65

Anaſtaſius ſcriptor laudatus 3. 4

Andreas Lechuſianus duodecennis puer 152

Æditui filius. 152. Graui caſu, ſine noxa tamen, affligitur. 152. In amnem prolabitur, ſub vndis voluitur, incolumis extrahitur. ibid. Impura neſcit nec nomina nouit. 153 Catecheſin etiam æger ſtudioſiſſimè audit, diſcit. ibid. Chriſtus ægro viſus traditur. ibid. Et D. Virgo cum SS. Petro & Andrea. 154 Extrema eius ad domeſticos Exhortatio. ibid. Sancta mors ejusd. ibid.

Annales Vngariæ 39

Anno Epiſcop. animaduertit in Henricum III. 45

Antonius hodie Abbas Garſtenſis 79

Aribo in Vita Corbiniani 3

Aribo Epiſc. Friſingenſis. 4

Arno Primus Archiep. Salisburg. 6. Optimus & religioſiſſimus antiſtes. 6. quo tempore vixerit. 6. Romam Legatus mittitur. 6. Carolo M. charus. 6. Hunnis & Slauis Euangelium promulgat. ib. Theodoricum illis antiſtitem deſignat. ibid. Synodum Salisburgensē celebrat. ibid Quæ ibidem decreta ibid.

Arno ab Leone III Pont. M. in literis Sanctus appellatur ibid.

Arno tabulas Notitiarum conficit. 11. Quæ Arnoni à Ducibus Bauariæ donata. ibid.

Arnoldus Pius Canonicus regularis 88. Reicherſpergenſe cœnobium ingreditur. ibid. Gerhobo ſanguine junctus. ibid. Lenta febri conficitur. 91. Ad vltima demum deducitur. 91. Magna ejusd. & diuturna patientia. ibid. Vultu ſemper eſt placido & ſereno. ibid. Extrema ejus & ſupplex oratio ad Patres & fratres. ib. Magna vis dæmonum in extremis ejus apparet. ibid. Patres in genua & vota procumbunt ibid.

Arnoldus totis artubus contremiſcit. ib. Inuaditur à ſtygijs monſtris. ib. S. Cruce ſe defēdit. 92. Cauſa ejuſd. agitur ad diuinū tribunal,

Digitized by Google

tribunal. ibid. Sancti & D Virgo proeo propugnant. ibid. Calumniatores Inferni atrociter accuſant & vrgent. ibid Spem prope omnem in D. Virgine habet collocatam. 93 Reſpirat ex lucta. ibid. Vocatur ad cœlum. ibid.
Atto Friſingenſis Ep. 6
Auentinus 4.39.41

B.

Barbara Hagenauerina antiſtita. 102. diuinis illuſtrationibus recreatur. ib. Quicquid à Deo petit, impetrat ibid.
Baronius 3.45. & paßim alibi.
Baronij elogium de Othone Friſingenſi 82
Bauaria Catholicæ religionis propugnaculum 116
Beda 4
Bernulphus in crucem actus 41
Bertholdus Abbas Garſtenſis 65
Bertholdus è nobili familia 65
Bertholdus multos in cœnobium admittit. 67. Religioſam diſciplinam accuratè ſancit. ibid. Delicta ſuorum etiam minima caſtigat. ibid. Liberalis interim in ſuos. 68. In menſa ipſius piſces diuinitus augentur. ib. è quibus tamen ipſe nihil guſtat. ib. à carnibus ſemper abſtinet. ibid. Nunquam jacet in lecto. ibi. Nunquam otioſus. ibid. Nunquam per hiemem hypocauſtum adit. ibid. Vix oßibus hæret. Cœnobij numerus & cenſus ſimul creſcit. ibid. Ab Oeconomis quædam occultata ſeu panes, ſeu nummi eſſent, in flumen tanquam furta aſpargit. 68. 69. Confeßiones plurimorum aßiduè excipit. 70. Nullum ſine pœna inflicta dimittit. ibid. Sub aliena veſte latentes diuinitus agnoſcit. ibid. Colebatur ab omnibus vt Sanctus, amabatur vt Pater. ibid.
Bertholdus Abbas propinquum religionis minus obſeruantem amandat 71 qui malus malè perit. ibid. Fures & latrones pœnitentes in cœnobium admittit 71. Inter hos Leo quidā fuit ib Mira multa patrat. 74. Amnem exundantem reprimit. ibid. Piſcium copiam ex inopia colligit. ibid & 75. Omnibus mortalibus ſuccurrit 75. Æger eſt ibid. Petit Aquam quæ migrat in vinum. 76. Ille è vita 78
Bruno Epiſcop. Auguſtanus Tutor Henrici III. 37. Henrici S frater. ibid.

C.

P. Caniſius 2
Carolus Magnus Imperator quartum Romam pietatis cauſa profectus 4
Carolus Stengelius 62
Ceadualda Rex Occidentalium Saxonum laudatur 3
S. Clara Cœnobium Monachij 96
Claudius Iaius vnus è decem primis S Ignatij Socijs. 114. Ingolſtadij Profeſſor Theologiæ. ibid. Gente Allobrox ſeu Sabaudus. ibid. Ratiſponam adit ibidémque rem Catholicam promouet. 114. Hæreticos ibidem concionibus & colloquijs retundit. 114 Mores populi & Cleri reformare conatur. 115. Deplorat miſerabilem Ratiſponæ ſtatum. 117. Epiſcopum ſui officij admonet. 117. Minas hæreticorum contemnit. ib. Redit Ingolſtadium, ibidemq; docet. 118. Ad Concilium Tridentinum mittitur. 119. Tridenti quid egerit cum Cardinale Madrucio. 119. Quid in Concilio Oecumenico. ibid. Quid in priuatis colloquijs profecerit. ibid. Tergenſtenſem Epiſcopatum ſibi oblatum omnibus modis reijcit. 119. 120. 121. Remittitur Ingolſtadium. 123. Auguſtam ad Comitia ab Othone Cardinale ducitur. 127. Quid Auguſtæ egerit. ib. Viennam mittitur. 128. Quam gratus ibidem Academicis. ibid. Viennæ moritur. 128. Acta illius ſummatim comprehenſa. 128. 129. Elogium ejuſdem apud Ingolſtad. Academiam deſcriptum 129
Coenredus Merciorum Rex Romam religionis cauſa profectus 8
S. Columbanus relicta patria in Gallias venit. 177. Luxouienſe cœnobium cum S. Gallo condit. ibid. S. Magnum recipit in ſuum contubernium. ibid. S. Magnum cellæ præficit. 178. Miraculum S. Magno tribuit. ibid. Eijcitur ex Gallia. 179. Ad Lacum Acronianum venit ibid. Ædem ſacram S. Aureliæ initiat. 180. Diſcedit à S. Gallo & Italiam petit. ibid. Mobianum

num cœnobium ibi conſtruit. ibid. Ab Agilulpho rege amiciſſimè excipitur ibid. Moritur. ibid. Mors ejus S. Gallo diuinitus ſignificatur. ibid. Pedum ipſius Paſtorale ſeu Cambatta 181
Conradus Cæſar 82
Conradus Saliquus Henrici III. Imperatoris Pater 37. Ejus funus. 38. geſtatur humeris filij regis ibid.
Conradus Saliſburg. Epiſc. 65. fugit ad Bertholdum Abbatem Garſtenſem 65
Coracinus piſcis genus 25
Corbinianus Friſingenſ. Pontif. à Theodone Duce Boiariæ donis multis augetur 3
Curtius 41
Cuto Angliæ & Daniæ Rex 37

D.

Dietberga nobiliſſima heroina cum conjuge cœnobium condit 88

E.

Eberhardus inuitus fit Monachus Garſtenſis 67. Bertholdo à ſacris. 75. Abbas deſtinatur. 77. Repudiatur. ibid. Sanctè extinguitur 79
Eliphdruda regis Angliæ & Daniæ filia nupta Henrico III. 37
Embichus ex Latrone Monachus. 22. Idem ſanctiſſimam vitam inſtituit. 22. Sanctiſſimè defungitur. 23. Futura moriens prædicit 23
Eraſmus Roterodamus Anteſignanus Lutheri 107.

F.

Filia Rudolphi Helfenſtainij ſe victimam pro ægro Patre offert 140
Ferdinandi Crendelij judicium de Wilhelmo Rotenſi 135
Ferdinandus Imperator Claudio Iaio offert Infulam Tergeſtinam 119
Franciſcus Borgia Generalis Societatis Ieſu 160
S. Franciſci Cœnobia Monachij, Virginum tria 96
Fridericus Abbas Hirſaugienſis contra jus fas exauctoratus. 50. Ejusdem innocentia miraculo declarata ibid.

G.

S. Gallus cum S. Columbano è Scotia in Gallias venit 177.
S. Gallus S Columbani diſcipulus ibid.
S. Gallus S. Magnum S. Columbano commendat. ibid Cum S. Columbano Luxouio pellitur 179
S. Gallus mortem S. Columbani diuinitus cognoſcit 181
S Gallo Magnus ſe totum committit. Ad S. Gallenſem locum in Heluetiam proficiſcitur. Ibi ædiculam condit quæ poſtea in auguſtum cœnobium verſa 181. vita decedit 181
Gars cœnobium 65
Garſt aliud cœnobium ibid.
Gebhardus Canonicus fit Monachus Hirſaug. Idem æger ſanatur ibid Adcontactum fœminæ iterum æger, iterum per Wilhelmum diuinitus curatus. ibid. Tota ejuſdem vita, mores, Epiſcopatus, interitus 57. 58. 59
Geiſenfeldenſis Iuuenis nobilis, ſponſus, alter Alexius. 112 113 Miraculis claret 113
Georgius Harrerius Parœcus Memmingenſis 133
Giſela Henrici III. Mater 37
Glaber 41. 45 & alibi paſſim
Godefridus Admuntenſis Præſul. 76. Curat funus Bertholdi Garſtenſis 78
Gregorius VII. laudat Henr. III. 46
Grimoaldus Dux Boiariæ Theodonis V. Filius 3
Guilelmus Mader Rhotenſis cœnobita 136
Guilelmus V. Dux Bauariæ quando mortuus 139
Guilelmi Bojorum Principis Pietas & edictum. 116. Nobile & generoſum Catholicúmq; ejuſdem dictum 116

H.

Heinricus ad Eiſtadium. 95 Idem Conditor Leprodochij. 95. Laudatur ab Rebdorfio. 95.
Haymo vitam Wilhelmi Hirſaug. ſcripſit 62
Henricus IV. Cæſar. 51 à Pontifice anathemate feritur 59. Indicit conuentũ Prin-

cipum

cipum & Pontificum ibid. Vexat religioſos ibid.

Haſunganos proſcribit. ibid. In Abbatem Hirſaugienſem Wilhelmum militem immittit. 60. Epiſcopus ab Henrico miſſus ſubitò ſideratur 60

Henricus III. Imperator Dux Boiariæ. 37. Conradi Saliqui F. ibid. Pietas Henrici in Patrem defunctum. ibid. Inauguratur. ibid. Omnibus omnes injurias condonat. ibid. Boemos debellat. ibid. Abantem Pannonum regem vincit. ibid. Alia ejuſdem acta, connubium, virtutes 39

Hoſtes cæleſti ope deuincit. 40. Puluis in hoſtium oculos intortus 41. Romæ cum conjuge Auguſtus ſalutatur, coronatur. 42. Simoniacos corrigit. 43. De argentea ejus fiſtula mira. 43. Ejusdem Imperatoris vitium 45. Eiuſdem pœnitentia 45. Verberibus caſtigatur ab Ep. ibid. Leonem Pont. Max. in Germaniam inuitat. 46. Mors ejuſd. deſcribitur 46

Hermannus Contractus 37. 45

Hermannus ex Marchione Monachus. 61. Ejuſdem uxor pia 62

Hildericus ſeu Ethico Parens S. Othiliæ 2

Hiltiboldus Garſtenſis 76

Hugibertus Theodonis V. filius Dux Boiariæ 3

I.

Iachelina nobiliſſima matrona unde oriunda. 169. Conjunx Schvvarzenburgici Comitis. ibid. Duorum & triginta annorum vidua ibid. Quomodo & quam ſanctè illos annos tranſegerit. ibid. S. Michaelis templum hæredem ſuæ reculæ ſcribit. ibid. Teneras virgunculas ad Virginitatem Deo vouendam inſtituit, inflammat. ibid. Plus triginta ad ſacras Virginum Parthenonas mittit. Nihil auri, nihil argenti, nec gemmarum poſſidet. ibid. Catena ferrea ſtringit lumbos ibid. Quæ poſt mortem deprehenſa, & ægrè à corpore auulſa. ibid. Excalceatis ſoleis incedit. ibid. Miniſteria ancillarum obit. Monachij moritur. Eberſpergæ ſepelitur. ibid. Poſt mortem formoſior, quam viua. ibid. Ejuſd. Epitaphium 170

Iacobus Biruua Soc. Ieſu. 156. Belga gente. Rei familiaris adminiſter. ibid. Romæ Societ. ingreditur ſub Layne. ibid. Remittitur in Germaniam. Dilingæ Oeconomum agit. 156. In caritate annonæ vaſa illi quamuis jam exhauſta largiuntur vinum, quod Patribus appoſuit. ibidem. Landſpergæ Magiſtro Nouitiorum Socius adeſt. ibid. Animos tironum miris modis tractat, omnéſque ſingularem ad pietatem excitat. ibid. Pias Sanctorum imagines ſemper in ſinu ſecum ferebat quando cum Patribus ad agros exeundum fuit 157. In aliquo Domus Angulo procumbit ſupplex in genua & precatur. ibidem. Acerrimos dolores cum ſilentio tolerat. ibid. Ægris ſtudioſiſſimè deſeruit ibid.

Iacobi Bidermanni Phaleucium in Biruuam. ibid. Ejuſdem Phaleucium in Iacobum Remium 164

Iacobus Remius Soc. Ieſu. 160. Domo Brigantinus ad Lacum Acronian. ibid. Dilingæ puer operam nauat literis ibid. Romam abit atque inibi in Soc. Ieſu adſciſcitur. ibid. Toto triduo nihil guſtat. ibid. Tota vita valde ſobrius & modici cibi. ib. Affixus Lectori Menſæ non aduertit quid eſſet aut biberet ibid. Ad lectionem Martyrologij plerunque lacrimatur. ibid. Thorax patientiæ qualis Iacobi fuerit. ib. Oculorum ſeueriſſimus cuſtos. ib. Contemtor ſui. ibid. Fugit omnes honores. ib. Honoratur ab omnibus. ibid. In Societate annos duos & quinquaginta traduxit. ibid. Monachij Miniſtrum agit 160. Alumnorum contubernijs præeſt multis annis. ibid. Imperturbati animi eſt. 161. Siletij obſeruator ſtudioſiſſimus. 161. Paupertatis amantiſſimus. ibid. Et Obedientiæ. ibid. Charitas ejuſdem in omnes. ib. Aegris totis diebus & noctibus aſſiſtit. ib. Curat ægros. ibid. Antiſtitam Auſtriæ morbo leuat. 162. Alijs atque alijs ſuccurrit 162. Prophetico Spiritu auctus multa prædixit, nec unquam feſellit 164. Colloquium ſacrum Adoleſcentum inſtituit. 162. Leges quas eidem præſcripſerit ibid. Animæ ſæpius illi apparent. 163. Preces

illius

illius certatim cum vlulatib. expoſcunt. 163 Rem diuinam cum multis lacrymis peragit ibid Encomium Beatæ Virginis MATER Admirabilis. ib. Vulgò Sanctus appellantur 164
IGNATII Literæ ad Ferdinandum Imperatorem 121
Ignatij Epiſtola ad Claudium Iaium 125
Ingolſtadianæ Academiæ judicium de Patribus Soc Ieſu 124
Ioannes Iuſtus Landſpergius Carthuſianus. 104 Coloniam ſtudiorum cauſſa adit. 104. S. Brunonis inſtituta ſequitur ibid. Corpus vexat jejunijs, flagris, cilicijs, loricâ ferrea ibid. Prior creatur Cantauij. 104. Patientia ejuſdem in morbo. ibid. Obedientia ejuſdem. 105. Varijs morbis tentatur. ibid. Ab Eraſmi Lectione abſtinet. ib. Anteſignanum Lutheri appellat. 107. Ipſe pios libros conſcribit 105. Virtutes ejuſd 106. Execratur hæreticos ſui temporis. 106 Errores illorum & hæreſes refutat ibid. Piè moritur 107
Iuuenis quidam Wilhelmi Almindingenſis, prædium Hirſaugienſe inuadit, corripitur morbo fit monachus 61
Iuuenis Geiſenfeldenſis, alter Alexius. 113. Piè moritur. 112. A Parentibus mortuus agnoſcitur. Geiſenfeldiũ deportatur, ibidémq; religiosè deponitur 112

K.

Kunegundis 37

L.

Landſperga nobile opidum Bauariæ 104
S. Laurentius ſuccurrit Henrico III 46
Laurentius à Brunduſio Capucinus. 166. Patria Laurentij Brunduſium Calabriæ opidum. ibid. Quo anno natus. ibid. Adoleſcens profitetur religionem. ibid. Miris modis proficit in literis ſacris & Hebraicis. ib. Cum Iudæis diſputat & confutat. ib. Multos ad Chriſtum conuertit ib. Totius Ordinis Præſes creatur. ibid. Vehementes ejus exhortationes. ibid. Ad amorem paupertatis ſuos inflammat ib. Grauiſſimos peccatores conuertit. ib. Concionatur Monachij. ibid. Pragæ. Familiaris Ducibus Bauariæ. ibid. Totos dies & noctes precibus & votis impendit. ib Cultus B. Virginis quantus in illo. 167. Lauretum venit. 167 Quomodo quadrageſimam ibidem tranſegerit. ibid. B. Virginis alloquio perfruitur. ibid. Sacrificium Miſſæ trahit ad 7. 8. 12. ſæpe horas. ib. Lachrimis inundatur. ib. Chriſtianum Exercitum à Turcis circumuentum incolumem ſeruat. ibid. Fœdus inter Catholicos laudat, auget, conſeruat. In magna eſt authoritate apud Principes Bauariæ. 168. Quanta in Italia exiſtimationis fuerit. 168. Multa miræ patrauit. ibid. Vlyſſipone vita decedit ibid. Maximi reges & Principes mortem ejus dolent ibid.
Lechnſium pagus in Boica juxta Auguſtam 152
Leo IX. In Germaniam venit 46
Leo quidam ex Latrone Monachus. 71. Idem ex Lupo mitiſſimus agnus factus 71
Ludouicus Helfenſtainius nobiliſſimus heros 138. S. Georgium pro Chriſtianis propugnantem videt ibid.
Ludouicus Madrucius Cardinalis. 119. Claium excipit. humaniſſimè tractat 118. 119
Ludouicus Rex Bojariæ & Germaniæ 12. Optimus & religioſiſſimus Princeps. ibid.
Ludouici Pij Imperatoris filius. ibid. Quo tempore vixerit. ibid. Ex Irmengarde natus. ibid. Lotharium fratrem armis vincit. 12. Patrem è cuſtodia liberat. ibid. Eundem Imperio reſtituit ibid. Carolum Caluum vincit. ib. Slauos, Boemos, Danos, Sorabos armis domat. 11. Cæleſtem opem in bellis ſentit. ibid. In morbis ad cæleſtem Medicum recurrit. 11. Benignitas ejuſd. in pauperes ib. Quare Patrem armis inuaſerit ibid.

M.

Machthumnus perfidus in Crucem actus 41
Magdalena Rattenburgica vidua. 98. Ab Angelo ad cœnobium ducitur ibid.
Magdalena Rattenburgica ſeu Rottenburgica Tuntenhuſium adit. 96. Velo nubitur Monachij. 100. Opes omnes in agros & religioſas

Digitized by Google

religioſas virgines expendit. 100. Culinam curat. 100. Infima officia ſubit. ibid. Oeconomiæ cœnobij præficitur. ibid. Noctu compenſat, quod per diem occupata non potuit. 101. Sæpè contemplatione abſorpta rapitur. 101. E terra diuinitus eleuatur. 101. Colitur à Principib. viris 101. Ad cælum abit 101

Magnus Conditor Cellæ in Waltenhofen in Bauaria 177. Primus Abuſiaci ſeu Fueſſenſis Cœnobij auctor 177

S. Magnus patriâ Scotus ſeu Hibernus. 177. Regio ſanguine natus. ib. Adoleſcens patriam cum omnibus patriæ commodis Chriſti cauſa deſerit. ibid. Luxouium in Gallias venit. ibid. Ad S S. Columbanum & Gallum ſe confert. ibid Recipitur in tirocinium ab S. Columbano. ibid. Religioſam veſtem induitur. ibid. Miris modis ex aſpectu & modeſtia religioſorum proficit ibid. Cellæ monaſterij præficitur. 178. Ingens miraculum in Cella patratur 178. Certamen humilitatis inter Magnum & S. Columbanum 178

S. Magno adſcribitur miraculum. ib. Eijcitur Magnus cum SS. Columbano & Gallo Luxouio. 179. Ad Lacum Acronianum in Germaniam ſimul omnes deferuntur ibid Eſuriunt ibid.

Magnus poma colligit in menſam S. Columbani. Prodigium de Vrſo. 180. Belua paret S. Magno. 180. Ad Brigantium multa mira patrantur 180

Magnus Diaconus 180

Magnus in Italiam mittitur. 181. Redit ad S. Gallum. 181. Totum ſe S. Gallo addicit. ibid. Et decennium in Heluetia cum illo traducit. 181. Ab Otvvino Duce Sueuorum peſſimè accipitur. 181. Ad fauces Iulias ſeu Fueſſenſes accedit 182

Magnus primum dictus Magnoaldus. 177. Monaſterium Fueſſenſe condit 182

S. Magnum S. Toſſo ſeu Tozo ducit ad Alpes Iulias ibid.

Magnus cæcum illuminat. 183. Campidunum venit 183

Magnus ibid. immanem Draconem diuinitus ſternit. 184. Theodorum ſocium Campidunenſi paræciæ præficit. 184. Aliam feram Magnus conficit 185

Magnus in Bauariam venit. 186 In Waltenhofen ædem ſacram B. Virgini condit. 186 Toſſonem Parochum ibidem conſtituit. 186. Abuzacum ſeu Abuſiacum accedit, locum ab infamibus beſtijs repurgat. 186. Füeſſenſe templum ædificat S. Sebaſtiano ſacrum. 186. Sacerdos inauguratur. 186. Sanctè emoritur. ibid. In numerum Sanctorum refertur ibid.

Maria Helfenſtainia ab Hohenzollern. 178. A mariti morte totam rebus diuinis ſe cōſecrat. 158. Landſpergenſe collegium cum Suicardo condit. ibid. Sericas veſtes & omnem cultum delicatiorem ponit. ibid. Cibum vulgarem cum ancillis capit. 158. Lautiores epulas ad ægros mittit. ibid. Pharmacopolium pro ægris inſtituit. ibid. Volebat ipſa, ſi id ei permiſſum fuiſſet, de aliena ſtipe victitare 158. Leges Societatis Ieſu ſecuta eſt. ibid. Omnes diei horas in opera vel manuum, vel preces expendit & partitur. 158 Ægra in mortem, præter religioſos, omnes excludit. ibid. Sanctè emoritur. 159. Amita Ioannis Principis ab Hohenzolleren 159

Maria Magdalena ſiue Antonia Ferdinandi Principis filia 96

Maria Maximiliana Ferdinandi Principis filia 69

Maroldus Religioſus Vnderſtorfenſis. 108. Conuerſus apud S. Auguſtini Canonicos. 108. Ad Chriſti Crucifixi imaginem moritur. ibid. Sub mortem ipſius, Campanæ per ſe canunt. ibid. Miraculum de lixiuio & lignis. 109. In Egentes & Leproſos miſericors 109

Martha Pretſchleifferin nobilis & religioſa Matrona. 102. Geminas ſecum virgunculas filias ad Cœnobium deducit. ibid. Ambæ moriuntur ibid.

Martinus Hermannus Antiſtes Rothenſis 134.

Martyrolog. Romanum 2

Maurus per lacum ſicco veſtigio incedit. 179. Miraculum S. Benedicto aſſignat. Benedictus Mauro. ib. puer dirimit litem ib.

Maximi-

Maximilianus Elector Dux Bauariæ Romam peregrinatur 4
Mindelhaimium 133

N.

Nicolaus Eſchius Caniſij Inſtitutor. 142. *Quàm ſolicitè Iuuenem cuſtodierit & informarit* ibid.

O.

Oetinga 148
Offa rex Sigheri regis Fil. Romam peregrinatur 3
Othilia cæca naſcitur. 7. *Quare Bauara appellata. ibid. In Baptiſmo cæcitatem abſtergit. ib. Per S. Erhardum Epiſcopum ſacro fonte tingitur. ibid. Argentinenſis patriâ* ibid.
Othiliæ pater Ethico ibid.
Othilia centum triginta Virginum Antiſtita creatur. ibid. Patrem ex Purgatorio liberat. ib. Eſt in Catalogo Sanctorum ib.
Otho Friſingenſis Epiſc. 80
Otho idem vir doctiſſimus. 80. *Qui de eodem ſcripſerint* ibid.
Otho inter Sanctos Auſtriæ relatus ab Ioanne Stabio & Manlio ibid.
Othonem Card. Baronius Sanctum appellat, Beatum, Arenbekius ibid.
Othonis Majores, Auſtriæ Principes. ibid. Principes è Cæſaribus orti ibid.
Othonis pater S. Leopoldus Auſtriæ Dux. ibid. Auus Leopoldus Pulcher. 81. *Proauus Adelbertus Victorioſus* 81
Othonis ejuſdem fratres Fridericus Dux Sueuiæ, & Conradus Rex Romanorum, Patruus Fridericus Cæſar Ahenobarbus & alij. 81. *Mater Agnes ex Cæſarib. orta* ibid.
Otho à Scriptoribus Magni cognomen retulit. 81. *Mittitur Lutetiam ad ſtudia.* 81 *Redit domum abſolutis ſtudijs. ibid. Religionem ingreditur cum* 15. *Sodalibus.* 82 *Abbas creatur. ibid. Friſingenſis Pontifex inauguratur* ibid.
Otho Epiſcopatum ſanctè & ſolicitè adminiſtrat 83. *Redit ad Morimundenſe Cœnobium.* 84. *Ibidem ſanctè vitâ defungitur ibid. Multa Monaſteria partim condidit, partim inſtaurauit.* 86. *Cum Conrado Imperatore in expeditionem Hieroſolymitanam proficiſcitur* 87
Otho Epiſcopus Auguſtanus. 118 *Claudium Iaium ſecum ad Comitia ducit* 118 127
Othocharus Styriæ Marchio 65. *Ejuſdem eximia laus.* 65. 66. *Condit Cœnobium Garſtenſe.* 66. *Plura de eod.* ibid.
Ouo Pannonum tyrannus 39

P.

Paulus Diaconus laudatus 3
Petrus Caniſius. 141. *Ingolſtadij Theologiam profitetur. ibid Rectorem Academiæ agit. ibid Concionatur. ibid. Landishuti Eccleſiaſten agit. ibid. Domo Belga fuit. ibid. Gente Sicamber. ibid. Patrem habuit Iacobum virum conſularem. ib. Matrem Aegidiam Hönvvingam. ib. Qualis in pueritia fuerit. ibid Quomodo præluſerit ſequenti vitæ.* 142. *Caſtitatis accuratiſſimus cultor & cuſtos.* 142. *Coloniam ad cultum literarum capiendum proficiſcitur ibid. Apud Nicolaum Eſchium mirè proficit in virtutibus.* 142. *Parentes offerunt opimas Iuueni conditiones cum ſponſa. ibid Eſchius cuſtodit ejus ætatem & animum. ibid. Moguntiam ad Petrum Fabrum defertur* 143
Petrus Faber Caniſium ad religionem erudit. 143 *Caniſius votum religionis concipit. ibid Nouiomagum ad ægrum patrem occurrit.* 143. *Morientis animam Deo commendat & ſaluam intelligit. ibid Opes paternas in miſeros partitur.* 143. *Coloniam ad Fabrum redit. ibid. Academia Colonienſis judicium de Caniſio.* 144. *Legatus ad Leod. Pontificem mittitur ibid. Legatur ad Carolum V. contra Hermannum Archiep. Colonienſem Apoſtatam. ibid. Romam proficiſcitur.* 144. *In Sicilia Rhetorem agit. Romam redit, quarto ſe Societatis voto aſtringit. ibid. Bononiæ inſignibus Academicis Doctor afficitur. ibid. Redit Ingolſtadium Theologiam ibidem docet. Concionatur ibidem ibid. Ab*

Digitized by Google

Imperatore Viennam euocatur. ib. Omnia Societatis munia obit. ibid Pragæ Societati collegium iuſſu Cæſaris inſtituit. 145. Ingolſtadienſis Collegij fundamenta jacit. ibid. Vniuerſæ Prouinciæ Societatis in Germania præficitur. ib. Quantas Viennæ & in tota Auſtria res geſſerit. ib. Romam inde rurſum ad dicendum nouũ Societatis totius præſidem defuncto Ignatio proficiſcitur. ibid. Redit in Germaniam. Ratiſpona in Conuentu Principum Cæſaris Ferdinandi Eccleſiaſten agit 145. Per totam ferè Germaniam Colonias Societatis deducit. ibid In Germania auctor Societatis creditus. ibid. Libros pios complures elucubrat. ibid. B. Aloyſius ſe plurimum ex illis profeciſſe teſtatus eſt. 145. Princeps Palatinus Wolfg. Guilelmus per ejusd. ſcripta potiſſimum ad Eccleſiam adductus eſt 146 Virtus ejusdem & miraquadam præſertim Friburgi Helvetiorum, vbi diem extremum obijt, perpetrata 146 E periculo aquarum diuinitus ipſe olim liberatus ibid.

Petrus Pannonum Rex 39

Püitrichianum Cœnobium Monachij 96

Q.

R.

Radegundis Wellenburgenſis 109

Radeuicus Scriptor. 82. Canonicus Friſing. ibid. Othoni Epiſcopo familiaris. ib. Hymnus illius in laudem Othonis 84. 85

Reginhardus 45

Reicherſpergum nobile olim caſtrum. 88. Inter Scherdingam & Brundunũ ſitum 88

Reicherſpergenſes Comites qui fuerint. ibid. Arcem ſuam demoliuntur, & in templũ vertunt. 88. Cœnobium S. Auguſtino & ipſius Sodalibus condunt 88

Remigius Capuccinus. 171. Natus in agro Mantuano. ibid. Adoleſcens ter in hebdomade pane & aqua viuit. ibid. Philoſophiam in ordine & Theologiam profitetur. ibid. Ordinis ſui Commiſſarius. ibid. Eccleſiaſten agit ibid. Candor animi ejus. 172. Charitas ejus erga omnes. ib. Quàm ſtudioſus fuerit paupertatis. ibid. A carnibus abſtinet. ibid. Aeterno catharro laborat. ibid Quantopere illum dæmon oderit. ibid Quomodo ſe idem ad mortem pararit. 173 Pia mors ejus. 173. & 134. Cilicium poſt mortem in corpore deprehenſum. 174. Quam Principes & populus de illo opinionem habuerint 174

Ridlerianum Cœnobium Monachij 96

Robertus Waucopius Epiſc. 118. Ejusd ſummalaus. 118. Moritur ibid.

Rudolphus Helfenſtainius 139

S.

Schvvarzenburgicus Comes Præfectus Aulæ Monachij 169

Sigherus Rex Orientalium Saxonum Pater Offæ Regis 3

Suicardus Helfenſtainius Collegij Landſpergenſis Conditor. 138. Ejuſdem Pietas in Conuiuio declarata ibid. De eodem 158

Suidgerus fit Pontifex Max. ex Epiſcopo Bambergenſi 42

T.

Thaſſilo Dux Boiariæ Romam voti cauſſa contendit. 4. Filium Romæ ſacro fonte tingi curat ibid.

Theodibaldus Theodonis V. fil. Dux Boiar. 3

Theodo V. felix Princeps 3. Trigeminos habuit filios hæredes. 3. Colit S. Corbinianum multis donis. ibid. Romam voti cauſa ſupplex petit.

Theodonem laudat Aribo.

Theodo à multis antiquis Scriptoribus laudatus. 4. Diuidit Prouinciam tribus filijs 3

Theodonis religio, arma, potentia, liberi 4

Theodorus Caniſius Petri frater. 147. Omni genere literarum excultus. 147. De Societate ineunda deliberat. ibid. Pudoris & innocentiæ ſummus cuſtos & cultor. ibid. Exploratur ejus conſtantia. 147. Ab S. Ignatio in Soc. admittitur. ibid. Remittitur in Germaniam. ibid. Tribus Collegijs Rector præeſt. ib. Gentem Heluetam miris modis amat. 148. Lucernæ cum magno fructu degit. ibid Reuocatur Ingolſtadium ad regendum Collegium ib. Petrus Theodorico morbum & mortem prædicit. 148. Æger ſemper in memoria & ore

Digitized by Google

ore habet ſalutaria Ieſu & Mariæ nomina. 148. Toto ſeptennio laborat. 150. Sanctè decedit. ibid. Propter vitæ innocentiam vulgo Angelus appellatus. 150. Vultus mortui viuo propior. 151. Per morbum omni memoria excidit 148
Theodorus Campidonenſis Abbas primus. 148. Socius S. Magni 184
Thymallus piſcis genus 21
S. Tozo ſeu Toſſo venit ad S. Galli ſepulchrũ. 182. Cereus illius inextinctus. ibid. Immani monſtro terretur. 184. Fit parochus in Waltenhofen. 186. Sufficitur S. Wicterpo. ibid. Creatur Epiſc. Auguſtanus 186
Tritbemius 62

V.

Vdalricus Helfenſtainius. 138. Antiquitas & nobilitas Helfenſtainiorum ibid.
Vdalrici Pueri pietas, Innocentia, mors, epitaphium 140
Veronica Donauerina Antiſtita 99
B. Virgo Hallenſis.
Voburgum opidum Bauariæ 110
Voburgenſis Agricola 110
Wernherus Epiſc. Spirenſis Schiſmaticus diuinitus ſubitâ morte plectitur 60
Wernherus Comes Reicherſpergenſis. 88. Templum, Cœnobium condit 88
Wicterpus Epiſcopus Auguſtanus. 186. Tozonem habet ſucceſſorem ibid.
Wiginozus religioſus presbyter. 178. Socius S. Columbani, Galli, & Magni ibid.
Wintherus Almindingenſis. 61. Fit Monachus Hirſaugienſis ibid.
Wilhelmus Abbas Hirſaug. 49. Vbi natus. ibid. Apud S. Emmerammum religiosè eductus. ibid. Ingenioſus, eruditus, Muſicus, Philoſophus, Mathematicus. ibid. Corpus affligit & emaciat. 50. In Abbatem Hirſaugienſem eligitur ibid.
Wilhelmus objecto ſomno jubetur à Chriſto præfecturam cœnobij ſuſcipere. 51. Conſecratur. 52. Fraudem Adelberti deprehendit 53
Wilhelmus Romam peregrinatur, & quid inibi egerit. 54. Ejusd. in pauperes liberalitas. 55. Claudum ſanat. ibid. Gebhardum Canonicum in tirocinium recipit 56
Wilhelmus à Cæſare vexatur 60
Wilhelmi Hirſaug. miracula 55. & ſeq.
Wilhelmus Abbas Hirſaug. auget cœnobiũ. 61. Ejusd. liberalitas in Pauperes. 62. Ejusd. Pia mors.
Wilhelmus Rothenſis. 133. Patriâ Mindelhaimenſis. 133 Puer mittitur Memmingam. ibid. Rhoti profitetur S. Norberti religionem. 133. Cœnobium Virginum frequenter adit. ibid. Dilingam mittitur ad ſtudia. 134. Tarditatem Ingenij, diligentia & religione compenſat. 135. Gratiam etiam proficiendi in literis impetrat 135. Corpus emaciat. ibid. Virgineum ejusd. corpus & animus. 135. Æger cum angelis horas Canonicas recitat. ibid. Redit ad cœnobium ibidémque ſanctiſſimè moritur. 136. Ante mortem eid. B. Virgo cum alijs virginibus apparet. 136. Sepulchrum redolet Arabicos odores. ibid. Ejusd. epitaphium. 137
Wiltrudis pia matrona 53
Wippo hiſtoricus 37
Wolfgangus Guilielmus Princeps Neuburgenſis 146

FINIS.

Laus cælo, terriſque ſalus, requiêſque Sepultis.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

NOs FERDINANDVS II. Dei gratiâ electus Romanorum Imperator,&c. renouamus, extendimus, & damus Raphaeli Sadeler hoc Priuilegium ex Cæſareâ poteſtate, ne quiſquam intra decennium illorum imagines antehac ſeu majore ſeu minore forma æri inciſas & excuſas, ſeu libris etiam inſertas, ſeu poſthac ab ipſo & filijs ejus incidendas & edendas, quacunque formâ imitando, ſeu æri incidendo, ſeu ligneis typis inſcribendo, ſeu quomodocunque adumbrando, vel è libris ejus petendo, vel vnà cum libris, quà totis, quà diuiſis, vel alijs operibus permiſcendo imprimat, edat, vel excudat ſub interminatione indignationis noſtræ Cæſareæ Majeſtatis & pœna duodecim pondo puri puti auri, partim in fiſcum Cæſaris redigendi, partim ipſi Sadelero & filijs ejus ſine vllâ remiſſione ſoluendi, operiſque totius ſimul amittendi.

Ferdinandus.




Digitized by Google

MONACHII.

EX FORMIS ANNÆ

BERGIÆ.



APVD RAPHAELEM SADELE-
RVM Iuniorem. Sereniſs. Electoris
Iconographum venalis.

ANNO

CIↃ IↃC XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google